

**SYNODUS
SANCTAE
ECCLESIAE
DERTHONENSIS
QUAM...**

Tortona, Giovanni Negri



SYNODUS DERTHONENSIS.

SYNODUS

SANCTÆ ECCLESIAE DERTHONENSIS

QUAM

EXCELLENTISSIMIS AC REVERENDISSIMIS

DOMINIS DOMINIS

EPISCOPUS JOANNES NEGRI

habuit dictus 6, 7 et 8 Septembris

MDCCCLIII.



DERTHONÆ

EX TYPOGRAPHICO EPISC. F. ROSSI.

1844.

INDICTIO SYNODI.

JOANNES NEGRI

Dei et Apostolicæ Sedis Gratiæ

EPISCOPUS DERTHONENSIS

Ac Princeps Campi Vbeati

PRÆLATUS DOMESTICUS S. S. GREGORII XVI

AC SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS

EQUESTRIS ORDINIS SS. MAURITII ET LAZARI

COMMENDATOR

*Universo Clero ac Populo Civitatis et Diocesis
Salutem in Domino.*

Quum trigesimus ferme supra centesimum annus adventet, ex quo apud Dertthonensem Ecclesiam Synodus Dioecesana celebrata non fuerit; præclarissimis Antecessoribus Nostris vel temporum calamitate, vel locorum aliarumque rerum adjunctis præpeditis; censemus, non esse Nobis in hac re ulterius cunctandum, eandemque hoc ipso anno esse cogendam. Postquam enim decem abhinc annis huic Ecclesiae, licet omnino immerentes, præsumus; jam sat probe, quæ in eadem vel corrigere, vel

firmare opus sit, dignoscere potuimus; potissimum per generalem ejusdem perlustrationem, quae jam jam ad exitum properat. Ad id ne dum Nos incitant Sacri Canones, quos nefas est praeterire; verum etiam peculiaris Dioeceseos conditio, quae plane, quibus regatur legibus, compertum non habet. Et reapse cum Dioecesanæ Constitutiones descriptae legantur potissimum in libellis Decretorum Synodaliū, quae sancita fuerunt superioribus saeculis; quomodo haec nunc cognoscentur, quum vix aliquis ex libellis praedictis possit reperiri? Deinde etsi omnium manibus praesto essent, quis non saepe anceps haereret inter ea, quae legitima consuetudine abrogata, vel derogata sunt, et illa, quae fortasse adhuc totam vim suam retinent? In tanta enim temporum vicissitudine nemo non videt, inopportuna evadere plura potuisse, quae olim prudentissime praescribebantur; prout etiam planum fit, quaedam nunc consulto et utiliter posse constitui, quae olim fortasse minus incongrue libera relinquebantur. Hisce omnibus addendum, non paucas admodum esse illas Paraccias, quae Dioecesi accesserunt anno 1817, quasque aequissimum est eadem regi disciplina, qua reliquae.

Hisce rationibus permoti, Conventum Dioecesanum, quantocius per Nos liceat, habere statuimus,

quem praesentibus indicimus futurum, si quidem Deus dederit, diebus 6, 7 et 8 proximi mensis Septembris. Quapropter hisce iisdem litteris omnibus et singulis, qui ad Synodum accedere tenentur vel ex jure vel ex consuetudine, praecipimus ac mandamus, ut, ex obedientia, quam Nobis vi Sacrorum Canonum praestare tenentur, nec non sub poenis a jure statutis, aliisque arbitrio Nostro addendis, praefatis diebus mensis Septembris teneantur indictae Synodo interesse, nisi hac obligatione a Nobis aut a Vicario Nostro Generali scripto solvantur: quod nequaquam fiet, nisi gravibus de causis, ante 15 diem Augusti proponendis ac discutiendis. Itaque ad Synodum vocamus ne dum Ill.^{mos} ac Rev.^{mos} Viros Dignitates ac Canonicatus quomodolibet in Ecclesia Nostra Cathedrali obtinentes; ne dum D. D. Parochos Civitatis et quoscumque beneficio in praedicta Cathedrali ac Civitate donatos; verum etiam quotquot extra Urbem jure vocandi sunt: nimirum Perillustres atque admodum Rev.^{os} D. D. Dignitates et Canonicos quaruncumque Ecclesiarum Collegiatarum (iis exceptis, quos Capitulum designabit velut omnino necessarios ad debitum Ecclesiae obsequium praestandum); omnesque admodum Reverendos D. D. Parochos ac Beneficiatos per Dioecesim, quocum-

VIII

que titulo ac praerogativa donentur; nec non omnes curam animarum suo nomine exercentes, etsi ex titulo tantummodo temporario; nimirum Spirituales Oeconomos Paraeciarum vacantium, et Vicarios, quibus in absentia vel impotentia Parochi aliqua Paraecia est demandata. Hinc omnes isti, quos recensuimus; diebus praefatis hora septima antemeridiana in Aulam majorem aedis Nostrae convenient, Nobiscum deinde descensuri in proximam Cathedralē Ecclesiam, ut simul Synodali actioni operam demus; et eorum nemo inde discedet, nisi unaquaque sessione legitime completa vel suspensa, nisi forte cuipiam ex gravi causa a Nobis id permittatur.

Illud vero hic profiteamur ac declaramus, quaecumque demum futura sit ratio ordinis, quam retinebimus in assignandis locis in actione Synodali tam Collegiis, quam singulis Parochis, aliisque, eam esse accipiendam absque praesudicio cujuscumque praecedentiae ac praecminentiae, quae forte alicui competat. Ne tamen a Nobis, etiam nolentibus, aliquid fiat, quod aliquantisper adversetur juribus quaesitis, quae omnino integra cuilibet volumus servata; per praesentes omnes monemus, potissimum vero Collegia, ut si aliquo fortasse praecminentiae jure potiantur, illud Nobis aperiant

ante exitum mensis Julii. In quo qui negligens fuerit, ulterius hac vice non audietur, quia tamen, ut praefati sumus, jus illius aliquid detrimenti capiat.

Omnes autem pro sacra actione se sistent ne dum induti veste talari, ac birreto Ecclesiastico instructi; verum etiam iis insignibus condecorati, quibus legitime utuntur. Superpelliceum propterea omnes induent, nisi forte rocheti privilegio fruantur, cui adjicient vel cappam majorem, vel almutiam vel aliud insigne cujusque proprium, prout a Nobis admittitur, et non aliter. Parochis vero concedimus, ut stolam rubri coloris superaddant.

Quoad hospitia, quibus indigent quotquot in Urbe non resident; nemini vetamus, quominus ad libitum illud sibi decorum quaerat in Civitate apud cognatos, amicos ac notos, si habeat: dummodo de eodem Nos edoceat ante dimidium mensis Augusti. Qua re tamen excipimus absolutissime et absque spe ullius temperamenti publica diversoria, nec non quodlibet hospitium extra Civitatis ambitum. Illud profecto tolerabimus in iis, qui ab Urbe ultra quinque milliaria non absunt ut vespere cujusque diei, si libet, domum propriam repetant, mane sequenti ad Synodum redituri: dummodo secum non ducant quempiam ex convenientibus ad Synodum.

Interim quibus nullus ex praedictis locis permis-
sis sit praesto, decentiore qua fieri poterit ratione,
satagemus ut hospitium non desit, vel in aedibus
Seminarii Dioeceseo, vel alibi, ubi opus. Ibi que
etiam, nisi apud amicos divertant, cibum sumere
illis licebit, quibus superius permittebamus domum
propriam vespere repetere. Attamen ut hospitio-
rum Praefecti, quos deputabimus, omnibus pro-
spicere possint; qui aliter sibi providere non po-
tuerit, ante jam dictam 15 diem Augusti preces
ad Nos dabit, ut in commune hospitium recipi
queat.

Cum itaque simul convenire debeamus ad opus
Domini peragendum; cumque agatur de maxima
totius Dioeceseo celebritate; nemo nostrum procul
dubio non videt, maxima religione et sanctitate
omnia, quae huc spectant, a Nobis esse praestan-
da. Hinc nihil moramur in suadenda Venerabilibus
Fratribus Nostris tam in itinere, quam in Urbe
omnimoda gravitate ac modestia. Si enim semper
et ubique velut luminaria in mundo praefulgere
debemus; quanto magis in hac solemnitate, in qua
oculi totius Dioeceseo in nos convertuntur.

Parochos vero iterum atque iterum monemus, ne
antea se itineri committant, quam inviserint, si
quos habent in Paraccia, aegrotos, eorumque

spiritualibus indigentis prospexerint. Non ideo tamen, ut patet, hoc est intelligendum quasi ab onere solvantur idoneum relinquendi Vicarium, qui praesit Paraeciae, ipsis absentibus. Attamen ut difficultates hujus rei minuamus, permittemus 1.º ut pro parvis Paraeciis, quae parum ab invicem distant, unicus pro duabus relinquatur substitutus, dummodo de ea re moneamur; 2.º facultatem faciemus, ubi petatur, subrogandi etiam illos Sacerdotes ex utroque Clero, qui nondum fuerint approbati ad Confessiones excipiendas, dummodo sint ex Dioecesi, vel in Dioecesi consistent, si regulares; 3.º demum haud erimus difficiles in admitendis hoc tempore Sacerdotibus tam Saecularibus quam Regularibus extra Dioecesim degentibus, semper ac approbati dignoscantur in illa Dioecesi, in qua commorantur. Quod si quis ex Parochis, in substituto designando, ita negligentem se praerberet, ut alterutri muneri suo deesse cogeretur, vix eum insontem habebimus.

Coeterum, Ven. Fratres Filiique Dilectissimi, etsi probe noscamus, quantum opus et quam arduum aggredimur, dum Dioecesanam cogimus Synodum: cujus difficultates augentur ex magnitudine Dioecesis, et ex diuturnitate temporis, quod a postrema Synodo effluxit, non despondemus animis;

quia spem Nostram omnimodam contulimus in Dominum, cujus obsequio unice in hoc studemus, dum S. M. Ecclesiae legibus obtemperamus. In spem quoque erigimur, quia, uti in omnibus aliis, in hoc praecipue negotio patrociniis innitimur Be-
atissimae Virginis Deiparae, in cujus tutela, prout est maximum Dioecesis Templum, humilitatem quoque Nostram initio Episcopatus collocavimus. Animos demum addunt ne dum praesidium Sanctorum, quorum clientela gloriamur; verum etiam tot spectabilium Virorum prudentia, quorum consiliis, hac potissimum occasione, peropportune juvabimur in exquirendis, quae aptius conducant ad disciplinae vigorem sancte instaurandum, tollendasque, si quae forte supersint, temporum sequiorum corruptelas ac laxitates.

Quamquam vero res ita se habeat; agnoscimus profecto, ex Nobis ipsis omnino impares esse huic tanto operi; ac propterea nunc quammaxime indigere, ut Dilectissimi Nobis in Christo Filii precibus suis Deum Nobis propitium reddant, quo coelestibus illustrationibus et muneribus in hoc perdifficili opere juvemur. Praecipimus proinde Rectoribus animarum, ut, statim ac receperint hasce Nostras litteras de futura Synodi celebratione, illam opportunis verbis Christifidelibus denuntient;

cosdem insuper instanter hortantes, ut supplicationes ac preces humiliter ad Deum fundant, Beatissimae Virginis Mariae patrocinium quoque ad id interponentes, quatenus omnia ad Dei gloriam ac Dioecesis utilitatem compleantur.

Ast cum animis alte insideat, vim peculiarem inesse ad amatissimum Divini Redemptoris Cor emolliendum in orationibus Sacrarum Virginum, quae sunt ejusdem Sponsae; hinc peculiari ratione quotquot sunt in Dioecesi Sacrae Virgines, sive in Claustris degant, sive aliter Domino suo inserviant, earumdem Confessarii hortentur impensè ut hoc Nostrum Negotium apud Divinum Sponsum enixe commendent.

Optantes demum, ut privatorum preces ab iis robur accipiant, quae publice fiunt, praescribimus

- 1.º Ut posthac usque ad celebratam Synodum in Missis addatur Collecta de Spiritu Sancto, nec non quando populo benedictio per Venerabile est impertienda.
- 2.º Ut diebus festis, ubi laudabilis viget mos ejusdem impertiendae benedictionis, praemittatur per hoc tempus cantus hymni *Veni Creator*; et ubi id non obtinet, post Vesperas tamen in qualibet Paraecia aut Ecclesia Succursali idem hymnus cantari debeat, addita oratione *Deus, qui corda fidelium*.
- 3.º Ut ad magis magisque

impetrandam Summi Numinis misericordiam excitentur omnes Christifideles, qui regimini Nostro subsunt, ad jejunium ex consilio servandum die 2.^a Septembris in honorem Beatissimae Virginis, Sabbato nempe, quod proxime praecedet Synodi celebrationem. Ad hoc autem jejunium praecepto adstringimus quotquot Clero saculari sunt adscripti, si quidem annum vigesimum primum compleverint.

Hanc multimodam sollicitudinem Nostram, qua quaerimus in hoc tam momentoso negotio Nobis propitiam reddere miserentissimi Dei nostri Bonitatem, ab ipso Supremo Ecclesiae Hierarca didicimus, Cui in hunc eundem finem placuit pro humillimis Nostris precibus concedere, ut quilibet Christifidelis, qui occasione hujusce primi Nostri Synodalis Conventus, contritus, confessus ac sacra Communionem refectus semel in triduo actionis Synodalis Ecclesiam Nostram Cathedralē visitaverit, in eaque oraverit pro exaltatione Sanctae Ecclesiae, haeresum extirpatione ac Christianorum Principum concordia, accipiat peccatorum suorum Plenariam Indulgentiam. Quod cum ita sit, Ven. Collaboratores Nostros, curam animarum Nobiscum exercentes, rogare adhuc cogimur, ut velint monere populum sibi commissum de praedicta Indul-

gentia, ut ad eandem lucranda*m* ii omnes exci-
tentur, quibus per id temporis licebit.

Hisce freti adjumentis ac suffragiis, Venerabiles
Fratres ac Dilectissimi Filii, cur non expectemus
plurima in Deum fiducia supernum subsidium in
iis, quae sumus acturi? Cum promiserit Divinus
Salvator, ubi duo, vel tres congregentur in nomi-
ne suo, se adfuturum in medio eorum; cur non
aderit nobis in unum collectis, qui id praestare
intendimus ad amplificandam Summi Numinis glo-
riam, et ad promovendam utilitatem animarum
quarum curam Dominus nobis demandavit? Cujus-
modi auxilium eo pleniori confidentia jure a Domi-
no expectabimus, quo ardentiori sollicitudine sata-
gemus, ut Christus Jesus omnimode nobis domi-
netur ac in nobis regnet, potissimum in proxima
Synodali celebritate.

Hujusce rei gratia plaeuit, ut Conventus Dioe-
cesanus proxime succedat consuetis spiritualibus
Cleri exercitationibus, quae hoc anno initium ac-
cipient die 23 Augusti, ut finem habeant die 1
Septembris. Dum vero hortamur omnes, ut velint,
juxta traditas regulas, pro sacro Recessu nomen
dare, idque mature, optamus quam maxime eni-
xeque flagitamus, ut hoc anno plures conveniant
ad hoc sanctum opus, quam annis superioribus,

praesertim ex Rectoribus animarum; ut nempe sanctius nos praeparemus ad dignam Synodi celebrationem.

Si quem forte moveat, quod vix quatuor dies intercedant inter exercitiorum exitum et Synodi initium; is noverit, sacris Exercitationibus expletis, liberum illi futurum in aedibus Seminarii demorari, qui, cum Synodo interesse debeat, iter arripere ex intervalli brevitatem vel nolit vel nequeat.

Quoad alios autem, qui Sacro Recessui interesse non poterunt, ut ad Synodum sanctius praeparentur; eosdem impense rogamus, ut sedulo secum ipsis attendere velint, quam sit religione plenum, quantique momenti ad bonum Dioecesis illud opus, quod simul aggredi intendimus. Qui enim sibi intimius hanc rem persuaserit, veluti sua sponte movebitur ad sanctimoniam hoc tempore plenius excolendam, ne videlicet moribus suis minus fortasse compositis vel tantisper obsistit coelestibus adjumentis, quibus indigemus ad tantum opus rite complendum.

Interea ut ista ad eos omnes certo perveniant, quibus jus competit interveniendi ad Synodum, aut ad id tenentur; volumus, ut hae Nostrae litterae, quibus eandem Synodum indicimus, de more rite promulgentur, et affigantur ad valvas tum

Ecclesiae Nostrae Cathedralis, tum omnium Collegiatarum, ac Parochialium: decernentes vim eandem habituras, ac si singulis, ad quos attinet, personaliter essent denunciatae.

Dat. Derthonae ex Episcopali Nostro Palatio die 13 mensis Junii anno 1843.

✠ **JOANNES** EPISCOPUS.

Can. **JOSEPH M. CANTU** Cancell. Episc. h.

654

CAPUT I.

De Fide Catholica ejusque Professione.

1. **O**mnium Synodorum etiam generalium consuetudine freti (1) a Fide Catholica ejusque professione exordimur. Omnes propterea tam Clerici, quam Laici, divinae memores sententiae, *sine fide impossibile esse placere Deo* (2), *jamque esse judicatum, qui non crediderit* (3), Catholicam Fidem integram omnino retineant.

2. Quia vero ex Apostolo *corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem* (4), rectam fidem, quam corde retinent, etiam aperte opportune profiteantur.

3. Coeterum cum *justus ex fide vivat* (5), satis non est semel credidisse, sed aliquando ex divino praecepto fidei actus est renovandus. Ne id serius fiat, quam par sit; curent Parochi, ut diebus festis a fidelibus actus fidei eliciatur.

4. Id vero facilius obtinebitur, si Parochus juxta Constitutionem Benedicti XIV. *Etsi minime* (6), vel alius ab ipso praefectus, praedictis diebus in frequentiore Fidelium conventu elata voce recitet actus Fidei, Spei, et Charitatis, populo interim verba iterante.

(1) Conc. Trid. sess. III.

(2) ad Haebreos XI.

(3) Marc. ult.

(4) ad Rom. X.

(5) ad Rom. I. — ad Haebr. X.

(6) 7 Febr. 1742.

5. Ex praecepto vero Ecclesiae Fidei professionem juxta formulam traditam a Pio IV. omnino emittere tenentur coram Episcopo, vel ejus Vicario generali quotquot ad animarum curam assumuntur, nec non Dignitates et Canonici coeterique, quos recenset Tridentina Synodus et constitutio Pii IV. in *Sacrosancta*.

6. Ad id adiguntur intra duos Menses a capta possessione beneficii sub poena amissionis fructuum ejusdem, licet etiam id jam praestitissent in adeptione alterius Paraeciae, vel Canonatus (1).

7. Praedictis Nos adiungimus, tum qui beneficia simplicia obtinent, tum qui primum Literas patentes consequuntur excipiendi Fidelium confessiones, vel qui primum ex Dioecesi Concionatoris munus assumunt (2).

8. At Dignitates et Canonici Ecclesiae Cathedralis ex Tridentini praescripto intra idem bimestre, et sub eadem poena tenentur insuper juxta memoratam formulam Fidei professionem emittere coram Capitulo (3).

CAPUT II.

De Praedicatione Verbi Dei.

9. *Cum fides ex auditu*, ut ait Apostolus, *auditus autem per verbum Christi* (4); hinc nulla re magis, quam verbi

(1) Conc. Trid. sess. 24 cap. XII. de ref. — Const. *In Sacros*. XIII. Nov. 1564.

(2) Synod. Derth. *Ceva* de prof. fidei. — *Besta* de fide ejusque prof. — Conc. Rom. Ben. XIII. 1725.

(3) Conc. Trid. loc. cit.

(4) Ad Rom. X.

Dei praedicatione Divina Fides in Christiano populo amplificatur ac roboratur.

10. Praestat proinde, ut animarum Rectores, ad quos pertinet salutaribus verbis Fideles pascere, diebus saltem Dominicis ac Festis solemnibus huic muneri non desint, potissimum intra Missarum solemnia, prout Concilium Tridentinum arctissime praescipit.

11. Qui enim trium Mensium spatio, etiam interpolate, in anno id facere negligeret; eundem monitum, etiam per Censuras Ecclesiasticas aliasque poenas ad officium revocare cogeremur (1).

12. Porro, quamvis in Dioecesi nisi Nobis annuentibus et approbantibus nemo concionari possit, qui ad id non teneatur ex munere suo; fas tamen erit Parochis permittere Dioecesanis Presbyteris, ut ad populum sermonem habeant in propriis Ecclesiis; nisi forte ex iis sint, quibus a Nobis ejusmodi ministerium sit interdictum (2), vel nisi agatur de praedicatione in Adventu et Quadragesima, aut occasione Exercitiorum spiritualium: qua in re consilium Nostrum erit expetendum. Clericis vero, etiam Diaconis, a Nobis tantum concionandi facultas fieri poterit (3).

13. Quoad Regulares nihil omnino ambigimus, quominus adamussim illa retineant, quae ferunt Constitutiones Pontificiae de hac re, sive in propriis Ecclesiis praedicare velint, sive multo magis in aliis (4).

14. Qui autem jus habent Concionatores nominandi pro

(1) Conc. Trid. sess. V. cap. II. de refor. — Sess. 23 cap. VIII. de Sacrif. Missae. — Const. Bened. XIII. *In supremo* XIII. Sep. 1724.

(2) Conc. Trid. sess. 24 cap. IV. de ref. — Dec. Clementis VIII.

(3) Synod. Derth. *Ceva* tit. de Concion.

(4) Conc. Trid. sess. V. cap. II. de ref. — Const. Clem. X. *Superna* 21 Jun. 1670.

4

Adventu aut Quadragesima, eosdem Nobis proponent ante festum Omnium Sanctorum, et Dominicam Septuagesimae. Secus negligentes sibi imputent, si pro ea vice nullam rationem habebimus factae nominationis.

15. Pro certo habemus, futurum, ut humaniter a Parochis semper excipiantur atque habeantur tum Concionatores Adventus et Quadragesimae, tum qui mittuntur pro Sacris Missionibus et Spiritualibus Exercitiis.

16. Confidimus etiam, ipsos Concionatores, ad animarum lucrum unice intentos, nec inanem plausum sectaturos, nec temporalia emolumenta. Caste proinde verbum Dei Fidelibus administrantes, hoc maxime suadeant vitae sanctitate et modestia, a nimia Laicorum familiaritate ac consuetudine etiam prudenter alieni.

17. A Concinatoribus quidem vel alterius Dioecesis, vel Regularibus quaeremus literas proprii Episcopi, vel eorum, quibus subsunt, quae de eorum scientia et moribus testentur. Ab omnibus autem petimus, ut, praedicatione completa, saltem per epistolium Nobis significant, quae pro salute populi animadvertenda vel providenda in Domino crediderint.

CAPUT III.

De Doctrina Christiana.

18. **Q**uia terret Profetae questus: *parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (1), eam summopere verbi Dei praedicationem commendamus, qua Fidelibus Christiana

(1) Hierem. thren. 4.

Doctrina ex ordine proponitur, atque enucleate explanatur. Nihil enim aptius ad propulsandam a Christiana plebe divinae Legis ignorantiam, ex qua immania mala erumpunt, uti nimium experientia liquet.

19. Quapropter Praedecessorum Nostrorum ordinationes sequentes, nec non et praxim a solertibus animarum Curatoribus invectam, volumus, ut Parochi diebus Dominicis vel per se, vel per alium, si fuerint impediti, Catechesim ad Populum habeant, per quam perspicue et nitide Christianam Doctrinam ita explicant, ut intra aliquot annos omnes ejusdem partes percurrant (1).

20. Aliquando tamen praestabit, quae opportuniora sunt denuo repetere. Sic laudabimus, qui in Quadragesima exponenda suscipiat, quae sunt de partibus Sacramenti Poenitentiae, nec non de dispositionibus ad Eucharistiam afferendis; ut nempe populus ad Paschale praeceptum sanctius implendum praeparetur.

21. Consultum etiam erit, ut saepe de Matrimonii impedimentis, quoad licet in publico conventu, edoceantur Fideles; ad illa gravissima peccata praecavenda, quae ex istiusmodi ignorantia profluere dignoscuntur.

22. Si vero istud commendatum volumus; illud quammaxime (quod jura omnia instantissime exigunt) ut in Catholicae Fidei rudimentis pueri ac rudes sedulo imbuantur.

23. Hinc Tridentinis praescriptionibus innixi, omnino denuntiamus, omnibus diebus Dominicis aliisque festivis puerorum Catechesim esse instituendam tam in omnibus

(1) Synod. Dert. *Reste de Doct. Chris.* § *volumus* — *Pejretti* Epi-c. Encyc. 22 Feb. 1786.

Parochialibus ac subsidiariis Ecclesiis, quam in Oratoriis ipsis ruralibus, quae mille passibus a Parochia distent, quotiescumque in ipsis Sacrosanctum Missae Sacrificium diebus praedictis celebratur (1).

24. Numquam proinde praetermitti poterit puerorum Catechesis cujuslibet consuetudinis praetextu. Nec item praetermittetur, utcumque parvus sit puerorum numerus, vel rigeat frigus, vel ferveat aestus, vel messis aut vindemia instet, vel festi solemnitas obtineat.

25. Ex Constitutione Innocentii XIII. 13 Maii 1723 solummodo excipiuntur solemnissimi dies Paschatis et Natalis Domini, quibus adiungimus solemnitatem Corporis Christi et festi praecipui ejusque loci.

26. In Parochialibus ac subsidiariis Ecclesiis ea hora habebitur Catechesis, quae pueris colligendis opportunior erit. Quod si haec hora a longo tempore statuta esset, nisi forte omnino inopportuna foret iisdem cogendis, Parochus eandem non mutet Nobis inconsultis. In Oratoriis autem ruralibus Catechesis erit instituenda per dimidiam horam ante Missam.

27. Aëre campano dabitur signum Catechesis juxta morem cujusque loci, ut pueri eorumque parentes excitentur ad proprium munus in hac parte implendum. Quin imo ubi adhuc viget usus adhibendi aliquos, qui fines Paraeciae circumeuntes pueros ad templum cogant, omnino retineatur; et alibi instauretur, si utile futurum speretur.

28. Pueri ac Puellae, si res ferat, in varias classes dividantur pro aetatis ingeniique discrimine; quibus Sa-

(1) Conc. Trid. sess. 24 cap. 4 de ref. — Constit. Benedicti XIV.
Etsi minime 7 Feb. 1742.

cerdotes ac Clerici praeponantur, et in horum defectu viri ac mulieres in saeculo viventes, qui sint maturae aetatis, quorumque pietas aedificationem praestet.

29. Satius esset, si unusquisque Catechista catalogum propriae classis haberet; nec ad superiorem classem pueruli admitterentur absque aliquo experimento. Quod si ex necessitate simul sint retinendi pueri ac puellae, eorum modestiae sedulo consulatur (1).

30. Coeterum a Dominica prima Quadragesimae usque ad Dominicam Passionis (nisi locorum adiuncta aliud tempus exigant) habebuntur insuper Catecheses singulis diebus, Sabbato excepto, ut erudiantur adolescentes ad digne suscipienda Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae.

31. Ne vero Parochi in hisce omnibus praestandis necessario destituantur adjumento, districte praecipimus Clericis, rogamus vero obtestamurque in Domino Sacerdotes, quicumque demum ii sint, ut in hoc tam praestanti tamque necessario opere iisdem Parochis praesto esse velint (2).

32. Propterea nec Clericos ad Ordines, nec Sacerdotes ad Confessiones Sacramentales excipiendas admittemus, quos per Parochos non constiterit, quotiescumque opus esset, puerorum Catechesibus sedulam operam navasse.

33. Cappellanos autem rurales non permittemus Cappellanas retinere, qui in Oratoriis, quibus inserviunt, praescriptam Catechesim laudabiliter non habuerint. Imo nec leviter animadvertemus in quoscumque Sacerdotes, etiam Regulares, qui etsi vere non essent Cappellani, ad Populi

(1) Synod. Derth. *Resta de Doct. Chr.*

(2) Synod. Derth. *Cesa de Doct. Chr.*

commodum in dictis Oratoriis diebus festis celebrantes, praedictam Cathechesim puerorum non instituerent.

34. Viderint interim Vicarii Foraneii, quos in partem sollicitudinis Nostrae vocamus, an omnes Parochi, qui eorum jurisdictioni subsunt, hoc tantum munus exacte compleant; solertiam ac zelum, ubi opus, excitent; negligentes Nobis indicent. Non enim poterimus socordes in re tanti momenti impune habere.

35. Cum autem certum sit, non parum conferre ad Christianam puerorum ac rudium institutionem Sodalitates Doctrinae Christianae, quibus propositum est ejusmodi instructionem modis omnibus promovere ac juvare; Parochos enixe rogamus, ut in suis Paroeciis hanc Sodalitatem vel denuo excitent, si antea existebat, vel curent erigendam, si prius non aderat.

36. Non parum allicient Fideles utriusque sexus ad nomen dandum ejusmodi Sodalitati, si aperuerint atque exposuerint ingentes Indulgentiarum thesauros, quibus Summi Pontifices istiusmodi Societati adscriptos ditarunt (1).

CAPUT IV.

De Sacramentis in genere.

37. **I**nter coetera humanae salutis subsidia, quae Misericorsissimus Deus Fidelibus contulit, ratum est, praecipuum locum habere Sacramenta a Christo Domino instituta. Iis

(1) Const. S. Pii V. *Ex debito* 6 Octobris 1571. — Brev. Gregorii XIII. 5 Aprilis 1580.

siquidem, ut loquitur Tridentinum (1) *omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur.*

38. Itaque cum sancta sint sancte habenda, quotquot sunt Dispensatores Mysteriorum Dei serio recogitent ministerium sibi commissum potestatemque sibi factam, qua carent ipsi Angelici Spiritus. Inde enim liquido colligent, qua sanctimonia et animae puritate vivere debeant, ut parati semper inveniantur ad haec sacratissima mysteria digne conficienda ac ministranda.

39. Avertat Deus, ne tremendum hoc ministerium a quopiam unquam suscipiatur, qui mortalis culpa labe se sentiat inquinatum, quin divinam gratiam recuperaverit vel per contritionem charitate perfectam, vel, quod praestat, per Sacramentalem Confessionem.

40. Etiam extrinsecus ostendat sacer Minister, qua inus reverentia afficiatur, dum tantum opus exequitur. Praescriptum ritum sancte omnino retineat, et nisi ingens necessitas aliter suadeat, utatur veste talari, superpelliceo et stola coloris congruentis, vel saltem hac postrema in Sacramento Poenitentiae. Orationem praemittat, levitatem fugiat, gravitatem praesferat. Distincte ac devote verba Sacramentalia proferat, et vel ipsa sacra supellex, quam adhibet, sit munda ac nitida (2).

41. Ut vero Christifideles magis magisque norint debitum honorem et cultum Sacramentis adhibere, Parochorum erit populum edocere eorumdem excellentiam sanctitatem ac miram virtutem, nec non quibus animi dispositionibus digne recipiantur (3). Ita enim sponte fiet

(1) Sess. VII. in proemio.

(2) Const. Pauli V. Rituali praefixa.

(3) Conc. Trid. sess. 24 cap. 7 de rei.

ut Fideles etiam composito corporis habitu vestiumque decentia accedant.

42. Coeterum omnino par est, ut quilibet Ecclesiae Minister, multo magis qui ex munere suo ad id tenetur, vocatus ad Sacramenta ministranda, non segnem ac morosum se praebeat, sed alacrem ac promptum; idque erga omnes indiscriminatim, sive divites sint, sive pauperes. Vel cum iis qui ex ruditate inopportune petunt, expedit, ut omnem indignationis motum cohibeat, illorum memor: *libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes* (1).

43. Nefas certe in re tam divina non modo turpe lucrum sectari, sed et ejusdem suspicionem movere. Gratis dandum, quod gratis est acceptum (2).

44. Quod si occasione quorundam Sacramentorum sit more receptum, ut aliquid offeratur, etiam sustentationis titulo; serventur Sacri Canones, et Dioecesis statuta. Numquam profecto licebit per Sacramentorum denegationem consuetam oblationem exigere.

CAPUT V.

De Baptismo.

45. **A**d Sacramenta singula nunc gradum facientes jure incipimus a Baptismate. Est enim ipsum aliorum Sacramentorum janua, per quod in vitam spiritualem enascimur.

(1) 2 ad Corinth. II.

(2) Matthei 10.

Cum opus non sit ejusdem praestantiam atque absolutam necessitatem prosequi; declarabimus potius, quae sint servanda in ejusdem administratione.

46. Et quidem, nisi periculum vitae urgeat, solemniter hoc Sacramentum erit in Ecclesia conferendum, adhibitis omnibus coeremoniis ac ritibus, qui a Rituali Romano praecipuntur; et quidem hora congruenti, nempe cum dies clarescit.

47. Adsit propterea in qualibet Ecclesia, cui jus inest, vel cui facta fuit facultas, fons baptismalis ex marmore, vel alia idonea materia, sitque prope januam ejusdem Ecclesiae et ad laevam ingredientis. Ut a sordibus protegatur, apprime sub clavi operiatur, ac cancellis ferreis aut ligneis circumsepiatur. Super ipsum fontem pingatur, aut ponatur imago Praecursoris Christum in Jordane abluentis.

48. Praesto etiam sint, et quidem omnino munda, Sacrorum Oleorum vasa argentea, si fieri potest, vasculum salis, linteamina ac gossipium. In Solemni Baptismo admissim serventur, quae Rituale Romanum praescribit circa aquam in eo adhibendam; illumque ut plurimum conferat Parochus per se vel per Vice Parochum approbatum.

49. Intra octo dies a nativitate sub excommunicationis poena (1) parvuli ad Ecclesiam pro Baptismo deferantur. Non alia nomina imponantur, nisi Sanctorum ac Beatorum.

50. Adhibeantur praescripti fidejussores singuli pro singulis, aut ad summum unus et una admittantur (2). Ab hoc munere arceantur, quos Rituale recenset, quibus Nos Clericos adjungimus (3), nisi scriptam a Nobis veniam ob-

(1) Conc. Med. 1 part. 2 tit. de Bapt.

(2) Conc. Trid. sess. 24 cap. 2 de ref. mat.

(3) Synod. Dertb. *Ceva* de Sac. Bapt.

tinuerint. Consultum erit, ut Parochi saepe doceant, quosnam Ecclesiae lex ab ejusmodi officio repellat.

51. Insuper iidem Parochi, vel in publica Catechesi vel etiam occasione administrationis Sacramenti, monebunt Fidejussores seu Patrinos de obligatione, quam adeunt, imbuendi scilicet susceptos rudimentis Christianae Doctrinae, si parentes nequeant vel negligant.

52. Multo magis idem praestabunt quoad spiritualem cognitionem, quam suscipientes contrahunt: exponendo tum quando revera illa contrahatur, tum quousque se extendat, et quisnam sit ejus effectus (1).

53. Sacro ministerio rite absoluto, Parochus ad tramites Pontificiae Instructionis 25 Augusti anni 1836, et juxta regulas jam a Nobis propositas nomen baptizati, parentum, ac suscipientium describat, diem item, mensem et annum, imo ipsam horam nativitatis ejusdem; idque per extensum, non vero per notas arithmeticas.

54. Quod si contigerit, ut infidelis vel haereticus jam adultus Baptismum quaerat, vel suos errores abjurare velit; Parochus rem ad Nos deferat, ut consultius perspiciamus, quid facto sit opus.

55. Et haec quidem de Solemni Baptismi administratione. At quia saepe accidit, ut infantibus propter imminens vitae periculum privatim administrari debeat Sacramentum; retinendum, tunc quidem essentialia ipsius Sacramenti tantum esse ponenda, ut nempe adhibeatur necessaria materia et forma cum debita intentione; sed quamprimum, cessante periculo, hos quoque infantes ad

(1) Conc. Trid. loc. cit.

Ecclesiam esse deferendos, ut etiam super ipsos Sacri Exorcismi ac coeteri ritus compleantur (1).

56. Hac occasione Parochus inquirat, num essentialia Sacramenti in privata administratione revera fuerint adhibita; et si prudenter dubitandum censeat de valore Sacramenti collati, infantem sub conditione baptizet (2).

57. Id vero semper retinebit cum infantibus expositis, etsi ipsis appensa fuisset schedula, quae testimonium ferat collati Baptismatis, nisi ea intercedant adjuncta, quae omnem animi fluctuationem tollant (3).

58. Ut autem, quoad fieri potest, omne nullitatis periculum praecaveatur, cum ex necessitate Baptismus domi administratur, Parochorum erit primum satagere, ut Obstetrices probe calleant rationem eundem ministrandi, illaeque non adhibeantur, quae saltem ab ipsis testimonium non retulerint, se nosse Sacramentum conferre.

59. At vero quia fidelis quilibet reperiri potest in necessitate baptizandi, Parochi insuper populum edocebunt ex libro Rituali, idque in Catechesibus, vel pro re nata, quae sint servanda, ut etiam privatim valide ac licite Baptisma conferatur; nec non quousque liceat quandoque Sacramentum exponere periculo frustrationis, ut modis omnibus eripiantur parvuli nascentes a periculo aeternae perditionis (4).

60. Docebunt adhuc, quinam, urgente necessitate, ex praesentibus debeat Baptismus administrare. Digniori quippe

(1) Synod. Derth. 1 *Fossati*.

(2) Conc. Med. 4 tit. Quae pertinent ad Bapt.

(3) Conc. Med. 3 — Sac. Cong. Conc. 27 Decemb. 1723.

(4) Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 7 cap. 5.

competit, nisi modestia vel scientia rei aliter suadeat.

61. Demum docebunt, quae ex Baptismo, etiam private collato, oritur spiritualis cognatio inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem (1).

62. Ad hoc Parochi hortentur Christianas mulieres, ut post puerperium, exemplum secutae Beatissimae Virginis, Ecclesiae se sistant, gratias Deo acturae et a Sacerdotibus benedicendae: quae benedictio, salvis specialibus iuribus et probatis moribus, a Parochis fieri debet (2).

63. Postremo summopere commendamus invecum morem a primoevis Christianis mutuatum recolendi quotannis diem suscepti Baptismi, tum ut Fideles de tam insigni beneficio gratiarum actiones Deo agant, tum ut illa promissa renouent, quae in Sacramento emiserunt: et sic alacrius satagant ea ad effectum perducere, quae tunc sponderrunt. Rogamus propterea Parochos, ut hanc piam exercitationem in populo ardentem foveant, quo firmiores radices in dies agat (3).

CAPUT VI.

De Confirmatione.

64. **S**i Baptismus nos efficit Christianos, hoc alterum Sacramentum in fide suscepta nos firmat, perficit, ac

(1) Conc. Trid. loc. cit.

(2) Sac. Rit. C. Decr. Urbis et Orbis, 10 Decembris 1703 ad 6. — Decis. S. C. Conc. 3 Decembris 1718.

(3) S. Ambrosius de iis qui initiantur; — S. Joannes Chrysost. hom. 21 ad Pop. Antiochenum.

roborat ad proelia sustinenda, quibus ab infensissimo salutis nostrae inimico undique concutimur.

65. Parochi igitur fideles moneant de obligatione, qua tenentur illud suscipiendi, excitentque parentes, ne data opportunitate negligant, quominus eorum liberi illo muniantur, si jam septennes.

66. Cum Sacra confirmatio erit ministranda in hac Urbe, ejusdem Parochi nec non locorum, quae nimium ab ea non distant, saltem per hebdomadam pueros ad se vocatos instituant; ut vim virtutemque addiscant Sacramenti, quod sunt suscepturi; et ita disponantur, ut illud majori pietate ac fructu percipiant (1).

67. Idem fiat in reliqua Dioecesi, quotiescumque Parochi noverint, Sacramentum hoc esse conferendum vel in propria Paraecia vel in locis propinquis.

68. Pueris confirmandis vel ipsi Parochi, vel eorum delegati schedulam praebeant, in qua indicentur nomen, cognomen, parentes, Paraecia confirmandi; nec non et nomen Susceptoris seu patrini (si peculiarem habeat), pueri capacitas, et ab eo emissa peccatorum confessio.

69. Summopere optamus, ut confirmandi omnes primae manuum impositioni intersint; nec recedant nisi post Benedictionem in fine largiendam (2). Item si de adultioribus agatur, et Sacramentum mane administretur, ut jejuni percipiant, nisi gravia incommoda prohibeant (3).

70. Ut vero de suscepto Sacramento imposterum constet, nec non de contracta spiritali cognatione, quae in

(1) Synod. Dert. *Ceva*.

(2) Pontif. Rom. tit. de Confirm.

(3) Cat. Rom. p. 2 art. 19 de Confirm.

hoc Sacramento, prout in Solemni Baptismo, enascitur inter suscipientem et susceptum, susceptique patrem et matrem; volumus, ut Parochi librum habeant, in quo diligenter adnotentur nomen et cognomen tam Confirmatorum eorumque parentum, quam Patrinatorum nec non tempus et locus suscepti Sacramenti.

71. Quapropter injungimus Rectori illius Ecclesiae, in qua Confirmatio fuit administrata, ut schedulas Confirmatorum, qui sint alterius Paroeciae, ad eorundem Parochos quantocius transmittere debeat, et interim rei peractae certiores Nos reddere.

72. Quamvis autem hujus Sacramenti nulla sit necessitas pro pueris in mortis discrimine versantibus, si nondum septennium attigerint (1); attamen ne hi priventur illa majori gratia ac gloria, quae ex Sacro Chrismate ipsis accedit; Nos accersiti instante obitu alicujus pueruli, si quidem commode fieri possit, ad eum confirmandum libentissime advolabimus sine personarum acceptione.

CAPUT VII.

De Sacramento Eucharistiae.

73. **D**ivinissimum hoc Sacramentum, in quo Ipsum Christum Dominum totius gratiae fontem vere, realiter ac substantialiter habemus sub Eucharisticis speciebus mire latentem; quo est coeteris sanctius ac mirabilius, eo ma-

(1) Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 7 cap. 10.

jores requirit tum a Fidelibus, tum multo magis ab Ecclesiae Ministris pietatis, ac reverentiae significationes.

74. Dignitatem proinde, atque excellentiam hujus inenarrabilis doni tum animarum Curatores, tum Concionatores saepe exponant, atque efferant, ut omnes demum aliquo saltem modo percipiant immensam Divini Redemptoris Charitatem, qui in hoc Sacramento divitias sui in nos amoris effudit.

75. At quoniam Christus Jesus se ipsum in illo praebuit velut escam spiritalem ad reficiendas vires animae nostrae; adjiciant nulla re magis testari nos posse obsequium, atque amorem nostrum erga Divinum Redemptorem in Eucharistia latitantem, quam si frequenter coelesti huic mensae sancte ac devote accesserimus. Ad id nos excitant verba Christi; Ecclesiae ac Sanctorum Patrum hortamenta (1).

76. Immane profecto facinus, quodque nullis lacrymis aequari potest, si quispiam Eucharistiam lethalis culpae conscius reciperet. Monendi propterea Fideles, ut antequam ad hoc Sacramentum accedant, juxta Apostolum (2) se ipsos per Sacramentalem Confessionem probent, et Divina gratia per absolutionem donati sic de pane illo edant. Tunc siquidem panis erit, non venenum (3).

77. Qua vero frequentia unicuique sit concedendum, ut ad Eucharistiam accedat, prudenti judicio relinquatur cujusque conscientiarum moderatoris. Certum est, nullam conditionem, statum, atque professionem frequentiori, imo

(1) Joannis VI. — Conc. Trid. sess. XIII. cap. VIII. — S. Just. Ap. 2 — S. Cyp. in exposit. Orat. Dom.

(2) 1 ad Corinth. XI. 29.

(3) Conc. Trid. sess. XIII. cap. VII.

nec quotidianae Communioni adversari, dummodo debitae deferantur dispositiones (1).

78. Quemadmodum ad Eucharisticam Communionem a Sacris Ministris sunt excitandi, et impellendi filii Ecclesiae, qui dispositi censentur; ita omnino aliter agendum est cum iis, quos constat gravi peccato innodari.

79. Imo qui publicis flagitiis ita contaminati sunt, ut nulla tergiversatione excusari possint; nec scandala reparaverint; etiam si publice petant, praetermittendi sunt, atque arcendi, uti praecipit Rituale. Videant tamen ministrantes, nec hac in re praecipiti et inconsulto zelo se abripi sinant.

80. Edocendi sunt etiam fideles, Christum et Ecclesiam ejus Sponsam nedum filios suos ad Eucharistiam hortari, sed ut aliquoties faciant, etiam praecepto adigere. In quo eminet arctissimum illud Ecclesiae praeceptum, quo omnes utriusque sexus fideles jubentur semel saltem in anno, et quidem in Paschate, Sacratissimum hoc Sacramentum sumere; sub poena interdicti ab Ecclesiae ingressu, et privationis sepulturae Ecclesiasticae (2).

81. Parochi propterea, instante tempore Paschali, efficacibus verbis fideles excitent ad tantum praeceptum rite implendum; ipsosque moneant, id non obtineri per Communionem sacrilegam, vel factam extra propriam Paroeciam, nisi Parochi venia accesserit (3).

82. Moneant insuper Parochi Paschale tempus, quo nempe hoc praeceptum impleri debet, a Dominica Palmarum

(1) S. Cong. Conc. an. 1679. approb. Inn. XI.

(2) Conc. Lat. 4 cap. 12 *Omnis utriusque*, et Con. Trid. sess. XII. c. IX.

(3) S. R. C. 20 Ap. 1660. — Bened. XIV. Instit. 55.

ad octavam Paschatis inclusive contineri, nisi prudens Confessarius in peculiari adjuncto aliter judicaverit, aut a Nobis alicubi, Auctoritate Apostolica, qua potimur, illud fuerit ampliatum.

83. Quos in hoc praecepto implendo negligentes vel etiam contumaces Parochi repererint, urgeant ac sollicitent iterum atque iterum, et fere ad importunitatem; leniter tamen atque occulte, ut rubori eorum ac famae parcant.

84. Ut autem securius ejusmodi inobsequentes dignoscantur, praestat laudabilem morem retinere distribuendi Paschales schedulas (1). Consultum etiam erit, si Parochus tantum Paschali tempore sacram Communionem distribuatur.

85. Paschali praecepto, nisi aliquid interveniat, quo temperetur, tenentur etiam aegroti in lecto decumbentes nec non et carcere inclusi. Hinc Parochus curet, ut opportuno tempore sacra Eucharistia ad ipsos deferatur.

86. Est et aliud praeceptum sacrae Communionis accipiendae, quod Fideles urget tum Divino tum Ecclesiastico jure, cum nempe vitae periculum imminet.

87. Diligentissime propterea curabunt Parochi, ne quis discedat coelesti hoc viatico non refectus, vel ne tali recreetur alimonia, cum vi morbi vix intelligit quid agat (2). Sacramentum Ipsi deferant, vel saltem, quoad fieri poterit, per Sacerdotem, qui sit Confessarius; idque, si necessitas cogat, etiam quacumque hora noctis.

88. Id ipsum cum eodem aegrotto iterum iterumque praestare non recusent, si periculum vitae diu perduret,

(1) Constit. Eugenii IV. *Fide digna*.

(2) Rit. Rom. de Commun. infirm.

remque exoptet infirmus; idque etiam post collatum Sacramentum Extremae Unctionis.

89. Parochorum etiam erit perpendere, quandonam adolescentuli in mortis periculo constituti, etsi nondum ad primam Communionem admissi, praecepto Communionis teneantur. Illos certe laudabimus, qui pueris etiam aliquanto decennio minoribus ac Sacramenti desiderium ostendentibus illud impertiri non abnuant (1).

90. Jure etiam volumus, ut ad infirmos, qui etsi in periculo non sint, diuturno tamen tempore ab Ecclesia arcentur, si quidem postulaverint, sacra Eucharistia deferatur, quam jejuni accipiant; praesertim occasione majorum Solemnitatum.

91. Cum occasione Communionis infirmorum ad fidelium domos sacra Eucharistia erit deferenda, hortamur instanter, ut in insignioribus locis, intra moenia, solemnius fiat; ita ut adhibeatur magna umbella vulgo *Baldacchino*, cum pluviali albi coloris, associantibus saltem duodecim luminibus.

92. Volumus autem, ut hac occasione ubique majora illa omnia retineantur cultus et honoris signa erga Augustissimum Sacramentum, quae pro rei adjunctis in unaquaque Paraecia jam servantur. Semper tamen, etiam in agris, saltem quatuor faces clausae, seu laternae accensae deferantur, cum alia lumina haberi non poterunt; nec umbella saltem parva praetermittatur.

93. Insuper ipse Sacerdos capite nudato, vesti talari ac superpelliceo saltem stolam et velum humerarium adji-

(1) Ex Glossa apud Martenc.

ciat (1).- Par est etiam, ut populus devote Sanctissimum Sacramentum comitetur ad Indulgentias lucrandas, quas Sacerdos annuntiabit ante actionis exitum.

94. Cum ratum sit, adolescentulos ante annos discretionis ad Eucharistiam sumendam non teneri; optimo jure invecum est, ut non prius ad ipsam admittantur, quam constet, ipsos sufficienter callere rudimenta Doctrinae Christianae, praesertim quae spectant Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae; et insuper ea pollere iudicii firmitate, ut sciant mensam a mensa discernere. Caveat autem simplex Confessarius, ne sibi vindicet hoc iudicium (2).

95. In quo quammaxime commendamus usum passim obtinentem, ut prima puerorum Communio non sine aliqua solemnitate peragatur; nempe, ut vividius adolescentulis insinuetur, quantum sit opus, quod perficiunt. Praestabit illam peragere infra hebdomadam Passionis, ut tempore Paschali Parochi et reliqui Confessarii adultioribus sint praesto.

96. Hic enixe rogamus tam Parochos, quam eos omnes, qui eisdem in hac re opem ferunt, ut nihil praetermittant, quo adolescentuli ad primam ejusmodi Communionem, quoad per aetatem licet, digne praeparentur, a qua ferme reliquae pendent.

97. Obnitendum omnino, ut eorum conscientia per integram et sinceram Confessionem, etiam generalem, si expediat, vere mundetur. Satagendum etiam, ut per hortationes piisque lectiones iis affectibus cor eorum imbuatur,

(1) Rit. Rom. — S. R. C. 23 Aug. 1695.

(2) S. Cong. Conc. 11 Junii 1718.

quibus par est eos moveri, qui Christum Dominum sunt suscepturi.

98. Caeterum constat, duplici ratione a Christifidelibus sacram Synaxim suscipi posse. Nempe vel per modum Sacrificii, dum communicant simul cum Offerente ex Particulis in Missa consecratis, vel per modum Sacramenti, dum id faciunt ex Particulis praesanctificatis.

99. Prima ratione licet sacram Eucharistiam Fidelibus administrare, quotiescumque in publicis Ecclesiis Missa celebratur, si demas Missam in nocte Natalis Domini, vel die Paschatis in Ecclesiis Regularium (1).

100. Altera ratione, nisi agatur de infirmo graviter aegrotante, ministrari nequit hora post meridiem; item tota feria sexta in Parasceve et Sabbato Sancto ante Missam; nec a Sacerdote nigra casula Missam defunctorum celebrante (2).

101. Cum Eucharistia erit intra Ecclesiam administranda ad modum Sacramenti a Sacerdote, qui non sit ad Missam paratus, ipse vesti talari superinduat superpelliceum, addita stola coloris diei congruentis. In ara vero accendantur saltem duo lumina (3).

102. Ad hoc itaque, ut coelestis hic panis praefatis omnibus Fidelium necessitatibus non deficiat, sed ad eorum bonum in omne tempus praesto sit; voluit Ecclesia, ut diu noctuque Sanctissimum Sacramentum in Sacris aedibus servaretur (4).

(1) S. R. C. 21 Maii 1601. — 23 Martii 1686.

(2) S. R. C. 2 Septembris 1741.

(3) Rit. Rom. de Eucharistia.

(4) Rit. Rom. de Euchar. Sacram.

103. Non tamen licet Sacratissimam Eucharistiam in qualibet Ecclesia retinere; sed tantum in iis, in quibus de jure. In Oratoriis Confratrum aliisque minoribus, potissimum ruralibus, multoque magis in privatis, nec ad unam diem id fieri poterit absque Nostra Auctoritate (1). Quas de hac re hucusque fecimus facultates, post sex menses extinguentur, nisi fuerint a Nobis scripto confirmatae.

104. Ut vero in istis Ecclesiis Sanctissimum Sacramentum perpetuo possit asservari, omnino requiritur Apostolicum indultum.

105. Interim ubi Sacratissimam Eucharistiam asservare licet, id fiat, quo par est apparatu. Nisi jus aut legitima consuetudo aliter velit aut permittat; custodiat in ara majori. Tabernaculum sit vel marmoreum aut ex alia solida materia vel saltem ligneum foris deauratum, illudque arae firmiter adnexum. Intus albo panno serico undique ornetur ac mundo Corporali sternatur.

106. Vasa sint nitida eorumque partes, quae sacras Particulas attingunt, sint argenteae auro linitae; Pyxis albo et decenti conopaeo tegatur; clavis item, quae portulam bene claudat et tuto custodiatur, sit argentea aut saltem deaurata. Lampas vero oleo ex olivis expresso instructa perpetuo coram Sanctissimo ardeat (2).

107. Ne Eucharisticae species in Tabernaculo corrumpantur, erunt identidem renovandae: quod fieri debet singulis hebdomadis (3). Recentes vero consecrandae ex panibus constant, qui a diebus non ultra quam viginti

(1) S. Cong. Conc. 12 Jan. 1630. — 21 Maii 1634 — 27 Ap. 1709.

(2) S. Rit. C. 22 Aug. 1689.

(3) S. Rit. C. 5 Ap. 1573.

fuerint confecti. Sint candidae, orbiculatae, nec nimis amplae, nec nimium parvae.

108. Porro consequens omnino erat, ut fideles, in quorum medio quotidie inhabitat eorum Dominus ac Salvator sub Eucharisticis speciebus, huic Divino Sacramento eas adhiberent cultus atque obsequii testificationes, quas Fides, Religio, ac Pietas instanter insinuant; quasque Catholica Ecclesia vel sancivit vel in dies probavit, potissimum postquam ab Haereticis Sacrosanctum hoc dogma oppugnari coepit.

109. Hinc ortum sumpsit Solemnitas Corporis Christi et triumphalis Sacramenti delatio per vias urbium ac locorum. Hinc quae in usum venit Sanctissimae Eucharistiae expositio adorationis et orationis ergo, nec non ad benedictionem populo impertiendam. Hinc, praeter alia hujusmodi, piorum Christianorum mos Ecclesiam adeundi, ut Christo in Tabernaculo sub Eucharisticis speciebus incluso et obsequium et preces deferant.

110. Humillimas profecto miserentissimo Domino gratias agimus, quia in hac Dioecesi Fideles minime deficiunt in praestandis erga Sanctissimam Eucharistiam ejuscemodi significationibus. Utinam istae amplificentur adhuc et pleniori Religionis sensu exercentur! Quis enim non inde jure futurum expectet, ut ipsi et ardentius cupiant coelesti hoc pane animam suam reficere, et saepius ad sacram mensam accedant?

111. Cum vero Pontificiis Constitutionibus in omnibus Paraeciis suadeatur erigenda Sodalitas Corporis Christi (1),

(1) Decl. Congr. Indulg. 7 Feb. 1607 appr. Paulo V. — S. C. Ep. 3 Feb. 1610 — Epist. Innoc. XI. 22 Jul. 1686.

cujus esse debet latius promovere cultum et honorem erga Sanctissimam Eucharistiam, nec non consulere expensis, quae ad eundem requiruntur; hinc Parochorum zelum excitamus, ut propositis, quae conceduntur, indulgentiis, ejusmodi Societatibus jam existentibus animum addant, et ubi desunt, erigendas curent.

112. Coeterum ne in istis summe probandis, quae usurpantur in honorem augustissimi Altaris Sacramenti, aliquid forte fiat, quod minus Ecclesiae legibus congruat aut deceat, quae sequuntur omnino retineantur.

113. Absque facultate Nostra, quam scripto dabimus, non liceat Sacramentum exponere cum Ostensorio, ne semel quidem, etiam ad Benedictionem solummodo impertiendam in quacumque Ecclesia, praeter Cathedrali, Collegiatis, Parochiales, et Succursales (1).

114. Ubi jure aut facultate obtenta ejusmodi expositio fiat, Sanctissimum Sacramentum in throno collocetur, nec minus quam sexdecim cerei accendantur, quoties exponitur tantum ad Benedictionem impertiendam; non minus vero quam viginti, si agatur de Oratione quadraginta, vel saltem plurium horarum. Ejusmodi cerei sint palmo longiores, et singulorum pondus sit saltem quatuor unciarum.

115. Quod si Sacramentum exponatur in Pyxide inclusum, uti aliquando fieri solet, tunc saltem duodecim lumina in Altari ardebunt.

116. Dum commendamus quammaxime, et latius propagari cupimus, praesertim a Septuagesima ad Quadragesimam, praedictam Orationem quadraginta horarum, aut

(1) S. C. Conc. 30 Maii 1699, 4 Feb. 1702, 13 Ap. 1726.

quae illam imitatur, haec in ea servanda insuper praecipimus.

117. Ecclesia solemniori apparatu ornatur et plurimum obumbretur, praesertim ad januam, ut devotio ac major veneratio concilietur. Vocentur aliqui Sacerdotes, Clerici et Confratres, ut nunquam desint adoratores. Admoneatur populus de Indulgentia plenaria, quae conceditur his, qui per integram horam in adoratione perseverant, quaeque defunctis applicari potest (1).

118. Postremo silentio premendum minime censemus ardens votum, quo optamus, ut Processio triumphalis, quae fit in Solemnitate Corporis Christi, magnificentiori semper apparatu, qui per adjuncta possit, extra Ecclesiam condecoretur; ne videamur Coelesti Regi negare illa obsequii et reverentiae indicia, quae terreno Principi ultra adhiberemus.

CAPUT VIII.

De Sacrosancto Missae Sacrificio.

119. **Q**uia fide constat, in Missae Sacrificio sub panis et vini speciebus se ipsum Deo Patri Dominum Jesum Christum incruente offerre, qui hac ratione usque ad saeculi consummationem Sacrificium in ara Crucis cruento oblatum, indesinenter renovat; quisque intelligit, idem Missae Sacrificium et veteribus omnibus immensum praec-

(1) Clem. VIII. Const. 1590 — Clem. XII. Const. 1 Sept. 1730.

cellere, et infinitae virtutis esse debere. Quid enim Divina haec victima apud Deum Patrem non praestat? aut quid Ipsi denegari poterit?

120. Cum vero in se uno colligat omnium antiquorum Sacrificiorum varietates; per ejus oblationem et debitum Deo cultum exhibemus, et dignas Ipsi pro acceptis beneficiis gratias referimus, et necessarias opitulationes impetramus, et demum peccatis nostris propitium reddimus. Cumque sit universale bonum, jure pro omnibus offertur, etiam pro iis, qui in fide Christi saeculo sunt defuncti.

121. Haec cum ita se habeant, omnino oportet, ut fideles probe erudiantur de tanti Sacrificii excellentia ac mira virtute, ut frequentius, qua par est pietate, ejusdem oblationi intersint, et ardentius cupiant ingentium ejus fructuum participes esse (1).

122. At vero quia qui ex hominibus ad Christianum Sacerdotium assumuntur, dum tremendum hoc Sacrificium offerunt, ipsum Christum referunt, qui in eo est praecipuus offerens; viderint hinc, qua animi puritate ac pietate tantum opus sit ab Iphis praestandum.

123. Nemo itaque qui lethalis culpae sit sibi conscius, audeat pollutus ad aram accedere. Si copia Confessarii adsit, ne ungue quidem a Tridentino de hac re gravissimo praecepto discedat. Si vero Confessarius desit, et miseranda celebrandi necessitate detineatur, postea quamprimum confiteatur (2).

124. Ut debita Religione Divinum hoc ministerium im-

(1) Conc. Trid. sess. 22 cap. 8 de Sac. Missae.

(2) Conc. Trid. sess. 13 cap. 7 can. 11. — Decret. Alexand. VII. 18 Martii 1666.

pleat, Sacerdos Sacrum facturum Matutinum cum laudibus praemittat (1) et animo revolvens excelsum opus, quod aggreditur, ad Ecclesiam veste talari indutus accedat.

125. Districte siquidem vetamus, ne ipsa in Sacrario sumatur. Sacerdotibus ex aliena Dioecesi iter agentibus ad triduum tantum hanc rem permittimus. Iis vero, qui in Oratorii ruralibus celebrant, idem indulgemus, si ultra mille passus a loco distent.

126. Qui in alio habitu, etiam semel celebrare ausit, praeterquam in veste talari nigri coloris, prout in Nostris regionibus ab Ecclesia admittitur; vel id faciat absque vitta lineae, vel lineae simili, circa collum, vulgo *collare*, ipso facto suspensioni erit obnoxius Nobis reservatae (2).

127. Ecclesiam ingressus Sacerdos modeste in Sacrario versetur; oret attente; praevideat in Missali legenda; sacras vestes, lotis manibus, nec sine praescriptis precibus induat; et gravi compositoque vultu atque incessu ad aram procedat (3).

128. Inter opus integra omnia verba rite pronuntiet et coere monias accurate servet. Rubricae enim Missalis omnino praeceptivae sunt. Si haec fiant, Missa non erit profecto nimis brevis. Attamen ne taedio afficiantur, qui Missae adsistunt, Ipse ad omnia sit expeditus.

129. Ea laudanda Missa, quae nec infra tertiam horae partem, nec ultra dimidiam producit (4). Qui infra horae quadrantem Missam absolvit, suspensum ipso jure

(1) Innoc. IV. Ep. ad Othon. Card.

(2) Editti *Ceva* 15 Feb. 1684 — 27 Giugn. 1695 — Decr. S. C. Con. 4 Apr. 1693.

(3) Conc. Med. I. de iis quae pertinent ad Missae celeb.

(4) Benedic. XIV. cap. 24 n.º 21 de Sacrif. Missae, et Inst. 34.

declaramus, ubi eidem vel semel ab aliquo celeritatis vitium jam fuerit objectum. Rector vero Ecclesiae, qui rem noverit, non poterit ei celebrationem permittere sub poena Nobis arbitraria.

130. Sacro peracto, Celebrans pro inaestimabili beneficio Domino suo debitas gratias referat; nec ab Ecclesia discedat, quin adnotet in apposito libro et proprium nomen et obligationem, cui satisfactum.

131. Missa privata licite celebratur in omnibus Ecclesiis ac publicis Oratoriis, quae non sint interdicta. Legitimae tamen consuetudines, quibus alicubi illa non permittitur diebus solemnioribus in quibusdam Oratoriis, intactas volumus. In Oratoriis autem privatis standum erit clausulis Apostolici indulti. At quocumque loco Missa celebretur, numquam fiat nisi in altari consecrato saltem portatili.

132. Omnibus diebus Missam privatam celebrare licet, excepto Triduo Passionis Domini, in quo sola Missa Solemnis permittitur (saltem ex praesantificatis, si sermo sit de feria sexta) et quidem in iis tantum Ecclesiis, quibus jus inest (1).

133. Hora autem, qua potest Sacrum fieri, est ab aurora ad meridiem (2); quod tamen tempus tertiae horae parte anticipare, aut prorogare conceditur (3). Diebus festis tempore Missae Parochialis nulla Missa privata celebrabitur intra fines Paraeciae in iis Ecclesiis, quae jurisdictioni Nostrae subsunt (4).

(1) Decr. Clem. XI. 15 Martii 1712 — S. R. C. Decr. 18 Maii 1602.

(2) Const. S. Pii V. *Sanctissimus*.

(3) Bened. XIV. Inst. 12.

(4) Const. Bened. XIV. 7 Feb. 1742 — Synod. Derth. *Septala* de celeb. Missae.

134. In Missa celebranda adhibendae sunt Sacrae Vestes, quae sint decorae, benedictae et coloris diei congruentis. Insuper adsint Corporale, Palla, Purificatorium, Mappae Altaris, Amictus et Alba ex Cannabe, vel ex lino, eaque munda ac benedicta (1). Calix vero et Patena sint consecrata. Illius cuppa sit saltem argentea. Ejus pars interior, prout etiam Patenae superior sit deaurata.

135. Nuperi Sacerdotes ad celebrandum non prius admittantur, quam exhibuerint literas Curiae Nostrae, quibus constet ejusmodi facultatem eisdem factam fuisse.

136. Alienigenis autem Praesbyteris, quorum honestas est perspecta, sive sint Saeculares, sive Regulares, permittatur Sacrum facere; non vero aliis, nisi ostenderit literas sui Praelati. Istaec, si alienigenae ultra hebdomadam in Dioecesi subsistere velint, ad Nos erunt transmittendae, ea conditione, ut decima die non amplius celebrent, nisi eisdem a Curia Nostra id permittatur (2).

137. Demum dioecesani Sacerdotes, qui literis Nostris remissoriis acceptis e Dioecesi migraverint, non poterunt celebrare, nisi a Nobis hanc scripto facultatem obtinuerint.

138. Cum Pia Mater Ecclesia concedat pro Missarum celebratione eleemosynas offerri et accipi titulo sustentationis; edicimus, quoad eleemosynam pro Missis adventitiis, seu manualibus esse retinendam consuetudinem locorum. Nemo tamen poterit ejusdem pretextu eleemosynam accipere infra solidos quindecim; neque exigere ultra libellam Pedemontis (3).

(1) Excepto Purificatorio ex Deer. S. R. C. 7 Sept. 1816.

(2) Synod. Derth. *Septala* de celeb. Missae.

(3) Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 5 cap. 9.

139. Qua in re nullus Sacerdos suscipere potest onus Missas celebrandi, nisi antecedentibus jam satisfecerit; vel saltem intra modicum tempus, nimirum intra mensem, possit omnibus satisfacere; aut nisi offerens in longius tempus consentiat (1).

140. Ne vero in hoc negotio, in quo Sacerdotes providere omnino debent coram Deo et hominibus, ullus vel levis suspitioni sit locus; onera Missarum quaecumque quis in dies susceperit, accurate in apposito libello privatim adnotet; in quo pariter describat quando iisdem satisfecerit. Hujusmodi libellum Nobis quandocumque requirentibus unusquisque exhibere tenebitur.

141. Nunc de perpetuis et diutinis Missarum oneribus. Optimo jure pro ejuscemodi Missis majorem eleemosynam esse constituendam autumamus, quam pro Missis adventitiis. Eadem pro re nata, et pro locorum adjunctis a Nobis statuatur (2).

142. Interim volumus, ut absque facultate Nostra, sicut jure est cautum (3), nulla ejuscemodi onera acceptentur a Capitulis, aut Collegiis, aut singulis Ecclesiarum vel piorum locorum Administratoribus; idque sub poenis Nobis arbitrariis.

143. Quam caute procedendum in Legatorum acceptance, tam accurate satagendum, ut acceptata adamussim impleantur. Nec ipsis haeredibus, qui iisdem tinentur, licet auctorum suorum pias voluntates aliter implere, ac

(1) Decr. Urbani VIII. 21 Jun. 1625 — et S. C. Conc. 17 Jul. 1755.

(2) S. C. Conc. 15 Novemb. 1698.

(3) Decr. Urb. VIII. 21 Jun. 1625 — Const. Innoc. XII. 21 Nov. 1697.

ipsi praescripserint (1). Hinc Missas celebrandas committere non debent in alia Ecclesia, et ad aliam Aram ab ea, quam testator praestituit.

144. Multo minus permittitur, ut privata auctoritate reducatur numerus Missarum, etiamsi reditus legati sint imminuti; sed vel Apostolica Sedes erit adeunda; vel ad Nos recurrendum pro iis casibus, in quibus aliquid possumus ex Apostolica facultate. Nostrum erit discernere, utrum vere sit locus reductioni, an potius ex tabulis institutionis haeredes ad augendos reditus sint cogendi (2).

145. Quo autem tutius legatis implendis prospiciamus, decernimus, ut in unaquaque Ecclesia perpetuo prostet exposita tabella, in qua plene describantur onera Missarum, et anniversaria, quae imponuntur beneficiis in ea erectis, vel quae fuerunt injuncta per legata eidem relicta (3).

146. Praescribimus insuper, ut in Sacratio cujusque Ecclesiae adsit liber Missarum, in quo celebrantes singulis diebus adnotent, quibus oneribus satisfecerint: quin tamen omittant privatam adnotationem, de qua antea.

147. Duplex sit is liber: In quorum primo erunt seorsim describendae Missae et Anniversaria, quae beneficiis tum Parochiali, tum fortasse aliis imponuntur; item Missae Legatorum. In alio vero Missae adventitiae, seu quae occasione funerum, et his similium, vel quomodolibet occurrunt.

(1) Ex cit. Decret. Urb. VIII.

(2) Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. XIII. cap. ult.

(3) Synodi Dertb. passim.

CAPUT IX.

De Sacramento Poenitentiae et de culpis reservatis.

148. **S**ecunda haec est, ut ait Concilium Tridentinum, post naufragium tabula, quam Divina Misericordia in tanta hominum pronitate ad malum iis deesse noluit, qui post Baptismum in lethalia peccata labuntur (1).

149. Quantum conferat ad salutem Fidelium hoc Sacramentum, ex eo colligatur, quod juxta Catholicam Fidem lapsis post Baptismum sit aequae ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus (2).

150. Quis enim nesciat, quam pauci sint, qui Baptismi gratiam illibatam custodiunt? Quis nesciat insuper ipsos innocentes, ut plurimum, tam insigne privilegium non servare, nisi quatenus frequenti usu hujus Sacramenti venialia sua peccata diluunt?

151. Ne itaque tam salutiferum pharmacum Ecclesiae filiis vel inutile evadat, si negligant, vel exitiosum, si male suscipiant; ejus necessitatem atque utilitatem Parochi saepe fidelibus inculcent; doceantque simul, quid facto opus sit ex parte Poenitentium, ut cum fructu Sacramentum accipiant.

152. Fideles moneantur, optimum esse ad Sacramentum Poenitentiae frequenter accedere, etiamsi Ecclesia non

(1) Sess. 14 cap. 1.

(2) l. cit. cap. 2 et Can. 6.

praecipiat nisi annuam Confessionem: quod potiori quodam jure adolescentibus est suadendum.

153. Coeterum divinum peccata sua confitendi praecceptum etiam urget, quoties graves tentationes aliter superari nequeant, vel quis gravis culpae conscius Eucharistiam sumere velit vel debeat, vel in gravi mortis periculo reperiatur (1).

154. Cum hujus Sacramenti partes sint actus poenitentis, contritio, confessio, satisfactio; sedulo docendi Fideles, quantae necessitatis sint actus hujusmodi, et quales requirantur ad veniam impetrandam.

155. Frustra tamen ipsi ad Confessionem excitarentur, aut quomodo accedere oporteat edocerentur, si deessent Confessarii seu Sacramenti Ministri. Propterea qui hoc Ministerium suscepit, multoque magis qui ad illud ex officio tenetur, eidem libenter ac sedulo incumbat; atque ad Confessiones excipiendas vocatus caveat, ne gravate se venire ostendat (2).

156. Coeterum nihil verius, quam artem perdifficilem esse hujus Sacramenti ministerium, quo aliorum conscientiae moderandae suscipiuntur. Proinde Confessarius accurate praestet in eo ministrando, quae requiruntur, fugiatque illa, quae cavere debet.

157. Et quidem in primis ne divino lumine et adjumento destituatur, rectam intentionem omnino afferat Fideles dirigendi in viam salutis. Habebit vero, si orationem praemittat et poenitentes oculis Fidei tantum inspiciat (3).

(1) Conc. Trid. sess. 13 cap. 7 et Can. 11.

(2) Rit. Rom. de Poenit.

(3) Acta Eccl. Med. p. 4 Instr. Poenit.

Haec si alta mente reposita sint, pauperes, rudes, senes ac viros non minus, quam divites, exultos, juvenes ac mulieres aequo animo audiet.

158. Deinde quia Confessarius in Sacro Tribunali dum sedet ut Doctor, Medicus et Judex, peculiari ratione est etiam Pater; hinc qua Patrem decet, charitate ac benignitate se cum Poenitentibus gerat.

159. Caveat propterea, ne supercilio aut impatienter eosdem excipiat; ne dure increpet, praesertim initio Confessionis; ne peccatorum, quae ipsi confitentur, gravitate obstupescat vel suspiria edat; ne nimium ab iis exigat; ne aspere dimittat. Heu! quot peccatores crudelis haec ratio agendi quorundam Confessariorum a Sacramentis ita avertit, ut per plures annos abstinerint!

160. Meminerit, illum Confessarium ingentes fructus ex suo ministerio referre, qui Poenitentes blande ac benigne excipit; qui trepidantibus animum addit; qui verecundantes aut idiotas adjuvat; qui ad contritionem movere studet, si quos invenerit culpas suas minus perhorrescentes; qui remedia viribus adaequare satagit; nihilque intentatum relinquit, ut ad absolutionem rite disponat (1).

161. Profecto Sacer Minister instar boni Samaritani aegri vulneribus nedum oleum, sed et vinum infundere debet. Nempe, ubi opus, Religionis terroribus poenitentem concutere oportebit; et quae omnino sunt ad salutem necessaria, firmiter ab eodem exigere, ne per inconsultam pietatem sacrum ministerium prodatur (2).

(1) Acta Med. Ec. p. 4 Instruz. ai Confes. — S. Franc. Salesius in Philopt. 1 cap. 16.

(2) Conc. Lat. sub Innoc. III. can. 21.

162. Haec tamen ita erunt blandimentis benignitatis con-
dienda, ut poenitenti nullum dubium maneat, quominus
Confessarius salutem animae suae unice quaerat; neque
omittendum, quum in incerto versatur, benignitatem potius,
quam severitatem esse persequendam: illius enim potius,
quam hujus rationem reddere optandum (1).

163. At vero hic penitus improbamus Confessarios, qui
ut labori parcant, poenitentes, quicumque sint, in Confes-
sione peccatorum omnino sibi relinquunt; eaque utcumque
peracta, ac nulla interposita inquisitione nec monitione,
eosdem absolvunt.

164. Nihil hac laxitate exitiosius, quae nec de Confes-
sionis integritate, nec de poenitentis dolore, nec de per-
versis habitibus convellendis, nec de proximis peccatorum
occasionibus auferendis, nec de obligationibus, quae forte
poenitenti imminet, est sollicita.

165. Non tamen eos probamus, qui ubique haerentes ad
minutiores inquisitiones descendunt, quae nedum super-
fluae, non raro etiam periculo non vacant.

166. In primis tamen caveat unusquisque, ne complicitis
nomen requirat aut poenitentibus praecipiat (quocumque
demum praetextu), ut extra tribunal poenitentiae sibi pan-
dant: imo increpandi, ne faciant, qui etiam ex levitate
vel alio simili motivo nomen complicitis in Confessione pro-
dunt (2).

167. Avertat vero Deus, ne quis ex Ministris Poeniten-
tiae eousque salutis suae sit immemor, ut sollicitationis

(1) S. Joan. Chrysost. homil. 23 — S. Antonin. p. 2 tit. 4 cap. 5
— S. Thom. in op. 63.

(2) Bened. XIV. const. *Suprema* 7 Julii 1745.

crimen non horreat aut complicem in re turpi absolvere audeat. Quem non terret immane facinus, quo in animarum perditionem vertitur, quod Christus ad medelam instituit; terreant saltem severissimae poenae, quas Ecclesia teterrimis hisce delictis inflixit (1).

168. Caveant insuper Confessarii tam Saeculares, quam Regulares, ne absolvant, quos Rituale declarat incapaces beneficii absolutionis, et ne circumscriptae suae jurisdictionis limites praetergrediantur, absolvendo a Casibus vel Summo Pontifici vel Nobis reservatis. Nisi enim ignorantia excusaret, etiam excommunicationem in hoc postremo adjuncto a Clemente VIII. latam incurrerent (2).

169. Caveant adhuc, ne ullam suspicionem moveant, se in hoc ministerio lucrum aliquod temporale prae oculis habere. Hinc nullas imponant poenitentibus eleemosynas ab ipsis Confessariis erogandas, vel Missas ab iisdem celebrandas. Etiam pecuniam restituendam ex sola charitatis necessitate acceptent; et, restitutione quantocius peracta, syngrapham ejusdem poenitentibus etiam invitis tradant (3).

170. Caveant demum, ne peccata etiam levia in Confessione patefacta directe vel indirecte prodant. Imo ab iis quoque abstineant, quibus etsi peccata nullo modo revelentur, poenitenti tamen onerosam reddunt Confessionem. Vel inter confitendum illa omnia vitent aut prohibeant, ex quibus circumstantes aliquid de Confessione, quae peragitur, vel audire vel suspicari possunt (4).

(1) Bened. XIV. Const. *Sacramentum Poenitentiae* 1 Junii 1740.

(2) 9 Jan. 1603. Quod Decr. latius confirmarunt Paulus V. 7 Januar. 1617 et Clemens XI. 13 Maii 1711.

(3) Synod. Dertb. *Fossati* l. de Sacram. Poenit.

(4) Dist. 6 de Poenit. cap. 2 Conc. Lat. 4.

171. Etiam in consiliis exquirendis caute procedant, ne ex adiunctis persona dignoscatur, etsi ejusdem nomen recteatur. Coram Saecularibus vero numquam sermonem habeant de auditis in Confessione, quantumvis nullum periculum appareat revelationis.

172. Si fides Confessionis emissae sit alicui danda, sub hisce verbis tantum fiat: *N. N. confitentem audivi die.....* addita subscriptione Confessarii.

173. Quo tamen ministerium hoc est difficilius, eo certe majoris meriti apud Deum, quum ex eo ferme pendeat quidquid boni in Ecclesia habetur, nec rite compleatur nisi insigniorum virtutum exercitio (1).

174. Et revera nonnisi charitas, quae patiens sit, perferre potest haud levia corporis incommoda, mentisque defatigationes, aliaque adhuc amariora, sine quibus hoc ministerium non exercetur.

175. De prudentia vero (ut alias virtutes praetermittamus) quid dixerimus, cum illi in hoc arduo ministerio nullus sit finis? Sive enim Confessarius poenitentes interroget sive moneat sive aliquid praecipiat sive absolvat sive absolutionem differat, nihil aliud demum quaerit, nisi ut apta media inveniat, quibus aeternae poenitentis saluti prospiciat (2).

176. Eminent haec prudentia in iis dissimulandis, quae si putatis Conjugibus panderentur, eos in formalis peccati periculum conjicerent, dum nullum rei remedium praesto adest (3).

(1) S. Greg. lib. Past. p. 1. cap. 1.

(2) Auctor lib. de vera et falsa Poenit. cap. 20, et S. Th. in 4 Senten. dist. 19.

(3) S. Ambrosius serm. 84 de Poenit. dist. 7 can. *Si quis*.

177. Eminent quoque in satisfactione poenitenti imponenda. Dum enim ea esse debet, quae sit salutaris et qualitati criminum aliqua ratione congruat; ita quoque statui, conditioni, aetati et sexui poenitentis aptanda est, ut is non exponatur periculo eandem omittendi (1).

178. Coeterum haec prudentia necessaria norma destitueretur, nisi Confessarius satis calleret, quae sunt moralis Theologiae, saltem eo usque, ut difficultates casuum deprehendat ac sentiat.

179. Hinc Confessarius et illud praestare debet, ut a studio Christianae Ethices numquam poenitus desistat, ne illud impleatur: *Si coecus coeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt* (2).

180. Nec quispiam sibi blandiatur, quod illa omnia olim bene didicerit, et praescripta pericula feliciter fecerit. Omnes enim norunt, nisi istorum memoria identidem revocetur, eadem sensim sine sensu in oblivionem venire. Jure propterea Confessariis omnibus praecipimus, ut moralibus Congregationibus, quarum usus in Diocesi resumetur, interesse debeant.

181. Porro hanc Sacram Doctrinam Confessarii tuto haurient ex probatis quibusque in Ecclesia Scriptoribus. Cuilibet enim quis adhoereat ex iis opinionibus, quae liberae relinquuntur, ubi temperantiam ac moderationem in iisdem adhibeat, pro praxi parum interesse censemus.

182. Interim, dum omnes hortamur, ut prae oculis perpetuo habeant monita ad Confessarios Sancti Caroli Borromaei ac Sancti Francisci Salesii; addimus ex declaratione

(1) Conc. Trid. sess. 14 cap. 8.

(2) Matth. 15 v. 14.

Sacrae Poenitentiariae (1), quemlibet tuto sequi posse doctrinam Sancti Alphonsi de Ligorio.

183. Nunc statuamus ea, quae spectant extrinsecam rationem administrandi hoc Sacramentum. Itaque initio volumus, ut Confessarii e Clero saeculari Confessiones non audiant in Ecclesiis, ubi frequens est populus, nisi veste talari, superpelliceo (hoc saltem diebus festivis) et stola induti (2).

184. Vetamus autem, ne mulierum Confessiones, excepta infirmitatis occasione, extra Ecclesiam excipiant, neque extra exedras ad id paratas; neque ante solis ortum neque post solis occasum (3).

185. Dictae exedrae sint in conspicuo Ecclesiae loco. Foris a latere piam imaginem utrinque habeant, ubi poenitens ad Confessionem genuflectit. Intus vero tabellam Casuum reservatorum. Inter Confessarium et Poenitentem adsint laminae exiguis foraminibus terebratae et velo connectae, si foramina sint paullo ampliora.

186. Ex eadem interiori parte adsit ostiolum, quo dictae laminae tegantur, quodque tunc tantum aperiatur, cum ex aliqua exedrae parte poenitens erit audiendus.

187. Cum mulieres ob infirmitatem erunt domi in Confessione audiendae, consultum erit, ut id fiat ostio cubiculi aperto, nisi necessitas aliter suadeat; et Confessarius manu oculis admota veluti velo utatur.

188. Cum ex Doctrina Catholica (4) ad hoc Sacramen-

(1) 5 Julii 1831 Resp. ad Eminentiss. Caenoman. Episc.

(2) Sac. Cong. Ep. et Reg. 8 Nov. 1588.

(3) Conc. Med.7. et Synodi Dert. passim, et S. Ep. Cong. 24 Jan. 1710.

(4) Conc. Trid. sess. 14 cap. 7.

tum valide administrandum, praeter potestatem Ordinis requiratur potestas jurisdictionis; in confesso est apud omnes, hanc postremam esse vel ordinariam vel delegatam.

189. Ordinariam quidem in Diocesi habent Canonici Poenitentiarii, nec non et Parochi, dum officium retinent. Delegatam vero reliqui, quibus ad libitum Nostrum a Nobis impertitur, sive sint ex Clero Saeculari sive ex Regulari.

190. Ut plurimum eam non concedemus nisi ad annum, et quidem facto periculo idoneitatis, nisi haec Nobis aliunde constiterit.

191. Sacerdos tamen Saecularis, qui hanc facultatem sibi fieri petat, exhibebit proprii Parochi testimonium, quo constet tam de morum honestate, quam Cathechesibus tradendis, et Sacris Functionibus eundem assiduum fuisse; Vicarii Foranei, quo id ipsum evincatur, quoad Congregationes morales; et demum proprii Confessarii de octidua vel saltem frequenti Confessione emissa. Haec eadem deferet post annum, quum sibi velit eandem facultatem prorogari.

192. Sacerdos autem Regularis ad obtinendam tum concessionem, tum confirmationem potestatis Confessiones excipiendi, afferet testimonium sui Superioris localis de vitae probitate, aetate, ac prudentia: de cuius veritate viderint ipsi Superiores Regulares, quorum conscientiam in hoc onerari nimis evidens est (1).

193. Anno elapso, quaelibet facultas ad annum circumscripta velut extincta habebitur, nisi agatur de Confessionibus absolvendis, quae bona fide jam fuerint incoeptae.

(1) Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 2. cap. 16.

194. Ut vero in confirmatione harum facultatum ordinem aliquem ponamus, id pro omnibus eodem tempore faciemus, nempe initio Januarii cujuslibet anni. Propterea pro hoc anno prorogamus facultates omnes usque ad praedictum tempus, quae ante illam diem expirent.

195. Singulis itaque annis initio mensis Decembris tam Vicarii Foranei, quam Superiores Regulares literas patentes cujusque Confessarii cum praedictis testimoniis ad Nos transmittent confirmandas.

196. Hic vero declaramus, fas esse Parochis et Æconomis Paraeciarum, quae a confiniis Dioecesis quinque circiter milliaria non distant, pro Confessionibus excipiendis in sui adjutorium assumere Parochos et Confessarios contiguae Dioecesis, dummodo ab hujus confiniis alia quinque circiter milliaria non distent; quibusque proinde ea facultas facta censebitur.

*Culpa, quae in Dioecesi Derthonensi
reservantur.*

197. I. Blasphemia in Deum, aut Sanetissimam Ejus Matrem coram aliquo prolata.

II. Usus ad Magicas artes, maleficia, sortilegia, aut superstitiones, Sacramentorum, aut Sacri Olei.

III. Parentum percussio.

IV. Homicidium directe voluntarium, etiam quoad mandantes, vel consulentes, aut cooperantes, effectu secuto.

V. Procuratio abortus, etiam foetus inanimati, vel effectu non secuto.

VI. Puerorum suffocatio, vel detentio infantium in lecto

ante annum completum, omiſſa cautione cunarum, vel alterius firmi repaguli.

VII. Copula inter Sponſos ante contractum matrimonium per verba de praesenti. Pernocatio eorundem sub eodem tecto in domunculis rusticorum.

VIII. Incestus in primo vel secundo consanguinitatis gradu, aut primo affinitatis, vel spiritualis cognitionis.

IX. Consensus Patris, Matris, aut viri in prostitutione filiae, aut uxoris.

X. Adulterium, et concubinitus, si quis in iis ultra annum perseveraverit.

XI. Bestialitas, Sodomia.

XII. Raptus; vel violenta defloratio puellarum; vel earundem seductio sub spe matrimonii.

XIII. Attentatio pudicitiae (quocumque modo fiat) Monialium, aut puellarum in Monasteriis educationis gratia degentium, vel ad eam cooperatio, quae scienter fiat.

XIV. Esus carniū in Quadragesima.

XV. Dilatio ultra annum solutionis Legati pii. Notariorum negligentia ultra duos menses a morte Testatoris in piis Legatis manifestandis.

XVI. Subreptio, vel malitiosa detentio, aut occultatio librorum, vel scripturarum cujuscumque generis ad Ecclesias vel loca pia spectantium.

XVII. Falsa depositio in iudicio in damnum tertii; Falsificatio Scripturarum, notabili damno interveniente.

XVIII. Damni injuriaequae causa, incendii excitatio, vel incisio alienarum vitium aut arborum in notabili quantitate, vel earundem enecatio.

XIX. Dolosa immutatio terminorum possessionum, vel occultatio eorundem.

XX. Peccatum Luxuriae, Furti, Homicidii, in quo ipse Confessarius fuerit complex, respectu ejusdem tantum.

CAPUT X.



*De Extrema Unctione,
et Cura Infirmorum.*

198. **E**t si omni vitae tempore Diabolus nos impetat; majori tamen nisu aggreditur, cum graviter aegrotamus, et potissimum in extremo agone. Quapropter Clementissimus Redemptor noster Extremae Unctionis Sacramento tamquam firmissimo praesidio in istiusmodi angustiis nos communit (1).

199. Docendi proinde Fideles hujus Sacramenti naturam, atque effectus, ut ejus desiderio incendantur. Peculiari ratione exponendus, ac declarandus ille effectus, quo secundario ex Ecclesiae doctrina corporis sanitatem confert, si animae saluti expedierit, ne ab eodem, veluti mortis nuncio homines abhorreant (2).

200. Monendi insuper, ut in gravi eorum infirmitate mature petant, tum ut pleniori Religionis sensu accipiant, tum ne Sacramentum praefato effectu suo secundario careat; quia salutem corporis affert, non quidem veluti per prodigium, sed causas naturales adjuvando (3).

(1) Conc. Trid. sess. 14 cap. 2 de Extr. Unct.
(2) Trid. loc. cit. — et Conc. Flor. in Decreto pro Armenis.
(3) Cath. Conc. Trid. § 8 de Extr. Unct.

201. Non omnes tamen Infirmi sunt hujus Sacramenti subiectum, sed ii tantum qui per sensus aliquid deliquerunt, ut fert ejusdem forma. Propterea non erit ministrandum pueris, qui ad usum rationis nullatenus pervenerunt; vel perpetuo amentibus, quibus ab ortu nullum effulsit lucidum intervallum. (1).

202. Ex opposita ratione aliter omnino dicendum de pueris, qui licet septennio minores alicujus doli sint capaces (2), vel de amentibus, qui aliquando rationis usu sunt potiti. His enim, quoties absque irreverentia possit ministrari, eo minus est denegandum hoc Sacramentum, quo forte prae coeteris indigent. Fortassis enim vel primario, vel saltem per accidens posset iisdem conferre ipsam primam sanctificationis gratiam.

203. Hujus Sacramenti Minister est Parochus, vel Presbyter de ejusdem mandato, saltem interpretativo in urgente necessitate (3). Materia vero est Oleum Infirmorum, quod ab Episcopo simul cum Sacro Chrismate, et Oleo Cathecumenorum, feria quinta in Coena Domini benedicitur (4).

204. Pro ejusdem benedictione edicimus, retinendum esse morem apud Nos invecum, ut Parochi Civitatis, et Suburbiorum per se, vel per alios Presbyteros eidem intervenire debeant; quibus alios duos Sacerdotes addeamus (5).

(1) Conc. Trid. loco cit. cap. 3.

(2) Conc. Med. 4 parte 2 tit. 6.

(3) Bened. XIV. de Synod. Dioecis. lib. 8 cap. 4 n. 7 — Conc. Med.

(4) Cath. Rom. p. 2 de Extr. Unct.

(5) Synod. Dcrlh. *Dossena* et *Aresio* de Cons. Ol. in die Coenae Dom.

205. Ne vero in Sacrorum Oleorum distributione aliquid eveniat, quo vel honos iisdem debitus minuatur, vel quod minus probari possit; decernimus in eadem imposte- rum esse servanda, quae hic statuimus.

206. Sacra Olea, exceptis Vicariatibus Foraneis primae, et duodecimae Regionis (revocamus siquidem in usum partitionem Dioecesis in varias Regiones), nec non Pa- raeciis Urbis, et Suburbiorum, a Sacrista Ecclesiae Cathedra- lis amplius non concedentur Vicariis- Foraneis, sed Praefectis cujusque Regionis, qui distribuent suis Vicariis; hi vero Parochis Vicariatus.

207. Qui accipient Sacra Olea a Cathedrali, nisi ipsi venerint, ad id deputare debebunt vel Presbyterum, vel saltem Clericum in Sacris constitutum (1). Idem erit di- cendum de Vicariis Foraneis, qui a Praefecto suae Re- gionis accipiunt, nec non de Parocho, qui a proprio Vicario.

208. Ut magis magisque parcatur impensis; duo vel etiam plures Praefecti Regionum eodem Presbytero uti poterunt ad accipienda Olea, dummodo ampullae cujusque Regionis maneat distinctae, et per Presbyterum Olea deferantur ad unumquemque Praefectum.

209. Singulis vero annis post mensem a Paschate Nobis rationes reddentur ejuscemodi distributionis tam a Sacrista Cathedralis, quam a Praefectis et Vicariis Foraneis.

210. Animadvertant interim Parochi, Sacrum Oleum Infirmorum asservari debere in Ecclesia in Fenestella ad latus Evangelii constructa, ostiolo cum clavi occlusa, cui superposita sit inscriptio: *Oleum Infirmorum* (2).

(1) Conc. Med. 2. tit. 3 Decreto 9, et Synod. Dert. *Septala* I.

(2) Conc. Med. 3 et 4, Synod. Dert. *Fossati* I.

211. Iis tamen Parochis, quorum domus ab Ecclesia notabiliter distat, si quidem petierint, concedemus, ut etiam domi retinere possint, dummodo paretur locus congruus, ornatus, ac clavi obsignatus (1).

212. Animadvertant adhuc, non levem esse culpam post novi Olei benedictionem vetus adhibere, quod igne est absumendum (2).

213. Animadvertant demum, si per errorem Sacerdos in infirmis inungendis adhibuisset vel Chrisma, vel Oleum Cathecumenorum; errorem esse emendandum, adhibito Oleo pro infirmis, formam Sacramenti iterando (3).

214. Coeterum hortamur hujus Sacramenti Ministros, ut, quoad fieri poterit, illa servant in hac administratione, quae Rituale praescribit. Primo itaque adhibeatur unus saltem Clericus, vel qui pro Clerico agat, qui Ministrum Olea deferentem cum Cruce sine hasta praecedat, feratque aquam benedictam; ut populus moneatur de Sacra Unctione peragenda, et ex multorum precibus magis infirmus adjuvetur (4).

215. Deinde Sacerdos cum Ministro domum aegroti ingressus reliqua compleat, quae in eodem Rituali praescribuntur, nisi ob imminens vitae periculum essent omit-tendae preces, quae administrationem Sacramenti praecedunt.

216. Imo si timeatur, ne infirmus decedat (5) ante-

(1) Conc. Med. supradic.

(2) S. Alphonsus de Ligorio lib. 6 de Extr. Unct.

(3) Conc. Med. 5.

(4) Rit. Rom. — Conc. Med. 2, et Synod. *Septata* I.

(5) Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 8 cap. 3.

quam omnes unctiones seorsim perficiantur; ut aeger Sacramento non privetur, conferri poterit sub unica unctione, et adhibita generali formula, quae omnes peculiare complectatur, uti esset: *Per istam Sanctam Uctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus*, et si tempus suppetat, *visum etc.* Praestat autem, ut tunc Unctio fiat in capite unde sensuum nervi descendunt (1).

217. Porro administratio Sacramenti Extremae Uctionis non nisi partem constituit ingentis sollicitudinis, quam Parochus gerere debet infirmorum suae Paroeciae.

218. Primo igitur simul ac noverit, aliquem non omnino leviter aegrotare, curet, ut eundem invisat tum urbanitatis gratia, tum ut, commiserando ejus valetudinem, viam ad monita salutis sibi aperiat. Hac ratione facile monere poterit de Sacramentali Confessione maturius faciendam.

219. Quia vero Parochus haec non semper opportune praestare potest; pro re nata Physicis Doctoribus gravissimam obligationem inculcet, quae ex constitutione Sancti Pii V. (2) eosdem urget.

220. Ast cum frequentissime fiat, ut aegrotos periculum, in quo versantur, lateat studio et opera familiarium vel amicorum, qui putant se hac ratione suum in ipsos amorem ostendere; Parochus saepe, etiam e suggestu, in hunc crudelem amorem insurgat, eumque arguat, qui aegros periculo exponit extremum diem obeundi, quin conscientiae rite providerint.

221. Morbo ingravescente, opportune vel importune

(1) Bened. XIV. loco citato.

(2) Motus proprius an. 1566 *Super gregem*.

curet Parochus, ut aeger Sacramenta recipiat. Neque id tantum; verum etiam ut domui suae disponat. Testatoris tamen dispositionibus non se immisceat; sed secreto ipsi suggerat tantum quidquid charitas vel justitia exigunt (1).

222. Potissimum caveat a suadendis piis legatis, quae aegrotantis haeredibus onerosa esse possent; multo vero magis, si in aliquod sui commodum vergerent (2).

223. Imo quia haec non infrequenter ab haeredibus negliguntur cum gravi discrimine tum aeternae eorum salutis, tum temporalis familiarum prosperitatis; Parochus fideles ab instituendis piis legatis potius avertat, nisi vel praedium aliquod, vel pecuniae vim aut Ecclesiae aut pio loco assignent, ex cujus fructibus legatum sit implendum.

224. Quod si periculum mortis magis urgeat, videat Parochus, ne Infirmus decedat destitutus Plenaria Indulgentia, quam ei confert Pontificia absolutio et benedictio (3), simulque hortetur et adjuvet ad crebram renovationem actuum Fidei, Spei, Charitatis et Doloris, per quos Infirmus adducatur, ut Divinae Voluntati plene se committat, etiamsi vita sit ei decedendum (4).

225. Eundem doceat, qua ratione hi actus brevissime eliciantur; eique praesertim magnam fiduciam insinuet Divinae Pietatis; moveatque ad quaerenda suffragia Sanctorum, in primis vero Beatissimae Virginis Deiparae. In agone positum non deserat, sed precibus Ecclesiae ad extremum usque spiritum communiat.

(1) Rit. Rom. de visit. et cura Infir.

(2) Rit. Rom. loco citato.

(3) Bened. XIV. Const. *Pia Mater* Nonis Aprilis 1747.

(4) Rit. Rom. loco citato.

226. Haec ad Parochos ita spectant, ut etiam Confessariis saepe congruant, quos aequum est, ut Poenitentibus in discrimine positus opem suam non denegent, quoties id optant ac petunt; vel ut Parocho aliis curis distento in subsidium veniant, si quaerantur.

227. Coeterum Parochus, qui nequeat ne per alios quidem presbyteros haec, quae diximus, aegrotis praestare, saltem plerisque; idque vel quia frequentissimus est populus, vel per agros longe lateque dispersos inhabitat; saltem semel in die, potissimum ad vesperam, eosdem visitet, ne omnino necessariis auxiliis destituantur.

228. Curet insuper, ut ubi opportuniore subsidia desunt, etiam a piis laicis ii interdum pietatis sensus, brevioresque ad Deum preces aegrotis insinuentur, quarum maxima est virtus ad tentationes furentesque Satanae conatus superandos.

CAPUT XI.

De Ordine.

229. **Q**uemadmodum in civili Societate alii sunt qui praesunt et moderantur, alii qui subsunt et obediunt; ita in Ecclesia Dei et Clerici sunt et Laici. Ex Doctrina vero Catholica Clerici officiorum suorum potestatem accipiunt non per nudam designationem, sed per eam consecrationem, quam Ordines conferunt, quos apud omnes constat, saltem in superioribus gradibus, verum Sacramentum esse (1).

(1) Conc. Trid. sess. 23 can. 2 et 3.

230. Ordinario jure solus Episcopus Ordines confert, qui non omnes ad eosdem potest assumere quotquot pro iisdem suscipiendis se sistunt; sed eos tantum, quos jure confidit ad hunc honorem fuisse a Deo praeordinatos (1).

231. Dei siquidem tantum est sibi quaerere, qui in domo sua, hoc est in Ecclesia aliis praeesse debeant; nec quisquam hunc sibi honorem a se ipso sumere potest, nisi per summam temeritatem, imo per infandum Sacrilegium. Quod immanium postea malorum fons et origo est, nedum ipsi ordinato, sed et Christianae plebi.

232. Propterea Apostolus praecipit Episcopis, ut cito nemini manus imponant, ne alienis peccatis communi-cent (2).

233. Ut cautius proinde et Nos discernere possimus, quos Deus ad Sacra Ministeria vocat, ab iis, quos potius in Sacrarium intrudit vel parentum inordinata voluntas, vel studium proprii commodi; utque sic et conscientiae Nostrae et Ecclesiae utilitati consulamus, nonnulla in hac re servanda decernimus.

234. In primis itaque Parochi saepe Fideles doceant, quam caute sit procedendum, cum agitur de suscipienda a juvenibus Ecclesiastica militia; tum ne parentes filios suos impellant potius ex proprio arbitrio, quam ex divina voluntate; tum ne adolescentes minus sponte id quaerant, aut ex motivis tantummodo temporalibus (3).

235. Deinde qui gestiat huic militiae nomen dare, ne audeat ex semetipso clericalem habitum assumere, sed fa-

(1) Joan. 15 v. 16 — ad Haeb. 5 v. 4.

(2) 1 ad Timot. 5.

(3) Bened. XIV. Inst. 2.

cultatem id faciendi a Nobis impetret (1). Ut vero eidem haec fiat facultas, precibus ad Nos datis, ad Seminarii Rectorem ante omnia se sistat, quem inferiorum Clericorum institutioni praeficimus.

236. Quem Ipse ex indole, moribus, ingenii viribus censuerit spem aliquam praebere, futurum Ecclesiae utilem; Eidemque constet mediis non destitui, quibus studiorum expensis possit prospicere, et titulum sibi comparare, ejus preces suo suffragio communit, quibus adnectentur testimonia aetatis, studiorum, vitae, et morum Supplicantis. Qui si decimum octavum annum attigerit, addet et testimonium Regii Judicis ejus loci, quem incolit, quo constet, nullius criminis se fuisse accusatum, nec alicui poenae infamanti obnoxium (2).

237. Cui vero haec clericalis habitus gerendi facultas facta fuerit, hoc ipso addictus censebitur institutioni Seminarii Dioecesiani, in quo Cleri alumni ad pietatem virtutesque Status Ecclesiastici, nec non ad literas ac scientias, quae viro Ecclesiastico congruunt, informantur; nisi eidem ex gravibus causis permittatur vel foris degere, vel etiam extra Urbem instrui.

238. Propterea quotquot clericalia insignia induunt, ante medietatem mensis Octobris preces exhibebunt, quibus vel petant ut in Seminarium recipiantur, vel ut ipsis foris degendi fiat facultas, si graves rationes hujus rei habeant, vel etiam ut extra Urbem imbuantur sub disciplina gymnasii vel Institutoris assignandi.

(1) Synodi Dertli. *Gambara et Dossena*.

(2) Synod. Dertli. *Fossati I*.

239. Qui haec posteriora ex proprio arbitrio sibi permiserit, iis accensebitur, qui Clericalem habitum sponte exuerunt. Cui vero fuerit permessa privata institutio, ad superiores Classes non ascendet, nisi ad easdem, facto periculo, fuerit in Seminario promotus, vertente anno scholastico.

240. Coeterum omnibus inferioribus Clericis, qui nempe ad Presbyteratum nondum fuerunt promoti, etiam iis, qui nec dum tonsura sunt insigniti, illa interduntur, quae reliquis Clericis, prout dicemus, ubi de vita et honestate Clericorum (1). At quamdiu in educatione perdurant, jure censemus, eosdem insuper peculiari et arctiori disciplinae esse subjicendos.

241. Et primo quidem studiis sive literariis sive philosophicis seu theologicis ita habeantur addicti, ut ter in anno, statis diebus, qui philosophiae et theologiae dant operam studiorum suorum laudabile experimentum praebent.

242. Deinde, qui in Seminario instituuntur, ejusdem regulas adeo accurate retineant, ut ab iis, qui praesunt, bonum testimonium mereantur, se in morum honestate, pietate ac disciplinae observantia proficere (2).

243. Qui vero extra Seminarium degunt, vel qui inde egrediuntur pro autumnalibus feriis, ista servabunt. In urbibus et insignioribus locis quotidie habitum talarem deferant (3). In oppidulis vero saltem induant diebus festis, et quandocumque, etiam tantum Missam audituri, ad Ecclesiam veniunt.

(1) Vid. *Infra* cap. XVIII.

(2) Vid. cap. XVI. de *Dioecesis Seminario* art. 393 et seq.

(3) *Synodi Derth. Aresio et Fossati* l.

244. Singulis diebus festis sacris Functionibus inserviant in Ecclesia, cui sunt adscripti, vel iis cum superpelliceo intersint, quoties alii sunt, qui inserviunt (1). Scholis rursus Christianae Doctrinae sint praesto; nec absint a spiritualibus Clericorum conventibus, si habeantur in loco, ubi manent.

245. Item orationi mentali quotidie vacent, saltem ad horae quadrantem (2), de qua Parocho interroganti rationem reddant, nec non Sacro adsistant. Ad Sacramenta vero semel saltem in mense et solemnioribus festis accedant: quod eo frequentius ab iisdem fiet, quo magis in Ordinibus progredientur; adeo ut qui in Sacris constituuntur, singulis octiduis id praestent.

246. De his omnibus, nec non de morum honestate testimonium pro autumnalibus feriis requiremus a Parochis locorum, in quibus Clerici easdem transigunt; confessionis tamen emissae attestationem praebere debet ipse Confessarius.

247. Clerici itaque sub feriarum exitum Parochis suis Confessarii attestationes exhibeant, quas ipsi ad Nos transmittant, addentes proprium testimonium de vita et moribus eorundem Clericorum, nec non de servata ab iisdem clericali disciplina. Quae omnia clausa et obsignata ad Nos dabunt, antequam Seminarium aperiatur.

248. Per annum vero scholasticum Clerici extra Seminarium in urbe degentes singulis bimestribus Seminarii Rectori exhibebunt attestationes Confessarii de frequentia Confessionis Sacramentalis; Parochi de morum honestate et Clericalis disciplinae observantia; Illius demum, qui

(1) Synodi Derth. *Dossena*, *Septata* I. et II.

(2) Synod. Derth. *Fossati* I.

Clericis exteris praeficitur, de interventu Congregationibus Seminarii et Institutionibus in Sacris Coeremoniis.

249. Qui autem extra Urbem instituuntur, singulis quatuor mensibus a suis Parochis, Institutoribus et Confessariis testimonia de rebus supradictis quaerant, quae ad Nos transmittent vel per ipsos Parochos, vel Vicarios Foraneos, vel quocumque alio modo.

250. Quapropter qui in Clericali militia progredi gestit et ad Ordines promoveri, omnino oportebit, ut se probatum exhibeat tum in studiis, quibus incumbit, tum vero magis in moribus et in ipsa Clericali disciplina hisce constitutionibus praefinita.

251. Nos quidem ab Ordinibus arcebimus, qui ineptum se prodat illi scientiae comparandae, quae viro Ecclesiastico est necessaria; magis autem cujus mores sint minus honesti; sed et illum, qui pervicaciter a disciplina abhorreat (1).

252. Quod si quispiam in istis, quae diximus, sat bonum testimonium suo tempore non potuerit referre juxta praefatas leges; is a consecutione optatae promotionis retardabitur pro culpae gravitate.

253. Ut vero Nobis magis magisque constet, nihil grave esse, quo ab Ordinibus arceri debeant qui vel tonsura, vel aliquo ordine insigniri petunt, eosdem in publico Fidelium coetu denuntiari jurebimus (2).

254. Promovendus ad tonsuram, debet etiam exhibere literas, quibus constet clericalem habitum legitime induisse, nec non et testimonium susceptae Confirmationis (3). Fro-

(1) Conc. Trid. sess. 23 cap. 14 de refor.

(2) Synod. Derth. *Fossati* I.

(3) Conc. Trid. sess. 23 cap. 4 de ref.

movendus vero ad quemcumque Ordinem, literas vel tonsurae vel alterius Ordinis, ad quem fuerit in antecessum promotus (1).

255. Praeterea oportebit, ut qui ad aliquem Ordinem promoveri cupit, illa sit praeditus scientia, quam Concilium Tridentinum requirit (2); nec ignoret quae Ordinem suscipiendum spectant: specimen, facto periculo, daturus. At promovendus ad Subdiaconatum exponet etiam de horis canonicis, et ad Presbyteratum de Sacrificio Missae.

256. Coeterum pro sacris Ordinibus ut plurimum requiremus, ut assumendus ad Subdiaconatum tertio jam anno incubuerit studio vel Theologiae vel sacrorum Canonum; quarto anno, si ad Diaconatum; quinto vero, si ad Presbyteratum.

257. Insuper ad majores Ordines nemo promoveri poterit, nisi aetatem habeat a Canonibus praescriptam, quoties non intercedit Apostolicum indultum; nec nisi post praescripta interstitia, nisi aliter Nobis in Domino videatur (3).

258. Item requiremus, ut in cantu Gregoriano se antea exercuerint, et per dies octo spiritualibus exercitiis vacaverint (4). Haec, nisi de iis constet, datis testimoniis promovendi docebunt (5).

259. At qui ad Subdiaconatum promoveri volunt, aliquo etiam titulo sint instructi oportet (6). Proinde nisi promovendus beneficium pacifice possideat, cuius redditus

(1) Synodi Derth. *Aresio* et *Fossati* I.

(2) Sess. 23 cap. 4, 11 et 14 de ref.

(3) Conc. Trid. sess. 23 cap. 13.

(4) Innoc. XI. 9 Octob. 1683. — Clem. XI. 1 Feb. 1710.

(5) Synod. Derth. *passim*.

(6) Conc. Trid. sess. 21 cap. 2 de ref. — Instruct. Bened. XIV. §. 15.

adaequent saltem libellas ducentas Pedemontanas (subductis vel computatis aliquatenus oneribus, prout Episcopo visum fuerit) (1); patrimonium Ecclesiasticum erit ei constituendum, cujus proventus praedictam summam attingant.

260. Qua in re compertum sit omnibus, illum qui scienter Ordinem suscipiat cum titulo ficto, ipso facto esse suspensum (2). Verum itaque et validum juxta leges esse debet hoc patrimonium.

261. Non erit autem verum, sed fictum, si bonorum assignatorum valor exaggeretur; vel si explicite aut implicite ex publico instrumento constet de pacto vel retrocessionis bonorum vel fructuum.

262. Nec valide constituetur, si fiat cum praedicio legitimae aliis liberis debitae, vel absque solemnitatibus a lege praescriptis, vel super bona hypothecis gravata, nisi haec tanti aestimentur, ut, oneribus etiam subductis, prudentis judicio congruam adhuc praebent Patrimonii securitatem (3).

263. Ut nihil horum contingat in assignandis Ecclesiasticis Patrimoniis, jubebimus antea denunciari bona, super quibus constituenda erunt, et moneri populum, ut intra determinatos dies aperiantur, si quae forte inhaerent, onera, hypothecae, census ac canones; vel etiam fraudes, si locum habuerint (4).

264. Qui autem ordinatus fuerit ad titulum Patrimonii Ecclesiastici, noverit bona Patrimonii non posse alienare

(1) S. Cong. Conc. 8 Aug. 1722. — 24 Apr. et 17 Julii 1723.

(2) Cong. Conc. decia. 27 Novem. 1610.

(3) S. Cong. Conc. 15 Apr. 1598.

(4) Bened. XIV. not. 26 § 21.

absque licentia Episcopi, etsi obtinuerit beneficium sufficiens ad sustentationem; et alienationem ejuscemodi esse ipso jure irritam (1).

265. Demum quoad Clericos alienae Dioecesis, qui ratione beneficii, quod in hac obtinuerint, vel originis, vel domicilii, quod jam in eadem acquisierint, ad Clericalem statum vel ad Ordines promoveri quaerant; omnino servabitur, uti par est, Constitutio Innocentii XII. quae incipit *Speculatores*.

CAPUT XII.

De Matrimonio.

266. **D**ocet Catholica Fides Conjugium, maximo Ecclesiae atque ipsius civilis Societatis bono, a Christo Domino, nedum ad primaevam Divinae Institutionis Sanctitatem fuisse revocatum; verum etiam inter Christianos ad dignitatem Sacramenti novae Legis fuisse evectum (2).

267. Sciant itaque Fideles, ex Pauli doctrina (3) *honorable esse connubium in omnibus et thorum immaculatum*. Imo *Sacramentum magnum esse dicendum in Christo et in Ecclesia* (4), quatenus Conjugum amor, quo se invicem caste prosequuntur, illius Sanctissimae Charitatis imaginem refert, qua Christus Ecclesiam suam diligit, et qua Ipsa Redemptorem colit ac redamat.

(1) S. Cong. Conc. 6 Martii 1638. — 4 feb. 1652.

(2) Conc. Trid. sess. 24 de Matrim.

(3) ad Haeb. cap. 13 v. 4.

(4) Ephes. V. 25.

268. Inde profecto sequitur, eum qui hanc individuam societatem ineat indigne; et sacrilegio se polluere et coelestibus iis auxiliis se privare, quae Christianis conjugibus ad perferenda gravia connubii onera praeparantur.

269. Haec porro insinuanda juvenibus, ne caeca libidine ducti sanctum hunc statum suscipiant; sed potius tamquam Sanctorum filii, non peccatis, sed Religionis actibus se ad hoc Sacramentum disponant.

270. Multo vero magis sunt inculcanda parentibus, tum ut liberos suos in re tanti momenti non avaritiae aut ambitionis, sed Religionis ac prudentiae dictamine dirigant; tum etiam ut omni sollicitudine ac vigilantia eosdem matrimonio proximos ab iis culpis removeant, quibus conjugii ineundi sanctitas macularetur.

271. Sunt insuper docendi Fideles, non quaslibet personas posse inter se conjugium inire, sed illas tantum, quae nullo tenentur ex iis impedimentis dirimentibus, quae lex naturalis vel Divina vel Ecclesiastica invexit.

272. Hinc optimum erit, si et ipsi norint, quae sint haec impedimenta, quid praestent et quousque se extendant, ut nempe removeantur ab intendendis illis conjugiiis, quibus praedicta impedimenta obsistunt, praesertim si de iis agatur, in quibus Ecclesia difficiliter dispensat. Experientia enim docemur, hisce matrimoniis, licet Ecclesia ad majora mala praecavenda dispenset, infaustum plerumque exitum accedere.

273. Qua in re sollicite etiam monendi Fideles, ut in quaerendis dispensationibus ab impedimentis Matrimonii summa sinceritate procedant; ut postea minime anxii dispensatione uti queant.

274. In primis vero Parochi curent ac prospiciant, ne quis ex iis, qui eorum curae demandantur, in illa miserima adjuncta se conjiciat, quibus adducatur ad eas dispensationes quaerendas, quas Ecclesia vel omnino non concedit, vel vix tantum ex causis, quae rarissime locum habent.

275. Id potissimum caveatur, quando ageretur de iis conjugiiis, quibus obsisteret impedimentum vel primi gradus affinitatis vel etiam primo-secundi, aut consanguinitatis aut affinitatis (1). Quapropter cum dispensationi ejusmodi nullus ferme sit locus in Regionibus Nostris; Pastor de Fidelium salute sollicitus, vix dum res in suspensionem veniat, curet, ut omnis necessitudo tollatur omnisque spes adimatur fore ut aliquando voti compotes fiant.

276. At cum impedimenta, quae conjugiiis ineundis praefracte obsistunt, non semper ac facile pateant; ad praecavenda plura invalida conjugia, quae ex hac ignorantia prodirent, sanctissime Ecclesia praescrispsit, ut Sponsi ante Matrimonii celebrationem in sua Parocchia, inter Missarum solemnias, tribus diebus Festis non continuis denuntientur, ut impedimenta detegantur, si quae forte subsunt (2).

277. Proinde doceantur Fideles, quanti momenti sit hujus gravissimae legis observantia, etiam ad futuram quietem eorum, qui conjugium ineunt. Hinc Nos, obsequentes praescripto Ecclesiae, numquam a denuntiationibus dispensabimus sine causa; quae vere gravis esse debet, ut ad concedendam earum omnium dispensationem moveamur.

(1) Chyrograph. Gregorii XVI. 2 Novemb. 1836.

(2) Conc. Trid. sess. 24 cap. 1.

278. Imo in hoc postremo casu, exemplum secuti Antecessorum Nostrorum, requiremus posthac depositionem duorum testium jurejurando firmatam de libertate ac domicilio contrahentium, nec non de veritate causae, ob quam dispensatio quaeritur. Literas hujuscemodi depositionis coram Parocho factas, a testibus subscriptas vel cruce signatas, ipse Parochus firmet, causasque ad Nos mittat, ut quod in Domino expedierit, decernere valeamus (1).

279. Quia vero Divina et humana jura postulant, ut in re tanti momenti, cujusmodi est conjugium, filii familias regantur consilio et auctoritate parentum; Parochi doceant ulterius Fideles, Ecclesiam semper fuisse detestatam ac detestari matrimonia filiorum familias, quae ineuntur insciis, vel invitis parentibus (2). Idque eousque, ut sponsalia ne obligent quidem, quoties parentes rationabili de causa iisdem repugnant.

280. Filios autem familias, qui intentionem aperiunt ejuscemodi conjugii ineundi, efficacibus verbis Parochi ab eadem removeant; ob oculos ponentes dissidia et odia aliaque gravissima mala, quae inde sunt expectanda; nec praetmittant significare, quae lex civilis de hac re constituit (3).

281. Cum vero aequum non sit, parentes ex levibus tantum futilibusque rationibus adversari nuptiis, quas forte eorum liberi exoptant; moneantur et ipsi, ne dure cum iis agant, neque ex arbitrio eorum libertati officiant, quae tantopere in hoc negotio desideratur (4).

(1) Synodi Derth. *Ceva* de Sacr. Matrim.

(2) Conc. Trid. loco citato.

(3) Cod. civ. art. 109 et 110.

(4) Cap. *Tuas* de Sponsalibus.

282. Matrimonii celebrationi ex vetustissimo more, quem Augustinus probat, sponsalia praemittuntur ut plurimum. Praestat, ut fideles adhuc probe sciant, quid ea sint, quosque pariant effectus. Praestat multo magis, ut retrahantur juvenes ab iisdem leviter ac temere ineundis.

283. Quod efficacius obtinebit Parochus, si moneat, sponsalia, quantumvis facile iniri possint, non tamen eadem facilitate probari posse. Gravibus certe rationibus innixi Nos delationem juramenti ad ea probanda numquam admitemus. Addat, neminem a civili lege ad actionem indemnitatis movendam admitti, nisi de initis sponsalibus per scriptum authenticum constet (1).

284. Demum retrahantur juvenes a sponsalibus ineundis longo tempore antequam matrimonium celebrari possit; Parentes vero ne permittant Sponsis, ut nullo adstante se invisant; et doceantur vetitum esse sub reservatione, ne Sponsi pernoctent sub eodem tecto in domunculis rusticorum. Haec siquidem gravibus peccandi periculis non vacent (2).

285. Coeterum Parochus, cui conjugium aliquod ineundum significetur, nihil agat, quin prius Sponsos seorsim rogaverit, num libere in illud consentiant, et videat, ubi opus, num in Christiana Doctrina sint satis instructi (3); ipsisque illa praebeat monita, quibus ad Sacramentum sancte accipiendum disponantur; praesertim de Confessione Sacramentali rite peragenda et Eucharistia accipienda juxta hortamenta Sancti Concilii Tridentini (4).

(1) Cod. Civ. art. 106.

(2) Synod. Derth. *Septala* II, *Ceva* I.

(3) Bened. XIV. *Const. Etsi minime* 7 Feb. 1742.

(4) Sess. 24 loco citato.

286. Quod si aliquem in Christiana Doctrina repererit minus peritum, quam par sit, ad matrimonium contrahendum non admittat, quin sufficienter ea didicerit, quae callere debet; nisi aliter Nos provideamus, quoties res difficultates patiatur (1).

287. Ubi vero Parochus vel ipso initio vel posteaprehendat aut parentes matrimonio repugnare, aut impedimentum dirimens opponi, aut alterutri Sponsorum objici alia sponsalia antea inita, caute procedat.

288. Si impedimentum dirimens timeatur, nisi inita discussione timor evanescat, supersedeat. In parentum dissensu, et cum praecedentia sponsalia opponuntur, studeat primo amice rem componere. Sin minus, stata die, opposcentes ad Curiam mittat; futurum ut, ni fecerint, nullam sit ipse rationem habiturus promotae exceptionis. Factam vero opponentium ad Curiam remissionem statim significabit.

289. Haec, quae de Parocho utriusque Sponsi dicuntur, aptentur Parocho alterutrius, si ambo non sint ejusdem Paraeciae.

290. Interim quoties nihil obstat, vel oppositio concidit aut sublata fuit; denuntiationes a Tridentino praescriptae fiant, nisi fuerit dispensatum (2). Et hae quidem sunt faciendae in Paraecia loci, ubi Sponsi degunt.

291. Non licet tamen Parocho adesse nuptiis illorum, quos sciat ultra annum in aliis Dioecesis Paraeciis habitasse post pubertatem, quin probent prius, adhibitis testibus, in

(1) Bened. XIV. de Synodo Dioecesis. lib. 4 cap. 14.

(2) Bened. XIV. Const. *Satis vobis* 17 Novemb. 1747.

Curia Nostra propriam libertatem; ni malint supplere per unam saltem publicationem in illis Paraeciis faciendam (1).

292. Etiam cum quis indiget testimonialibus status liberi, ut in alia Dioecesi nubat, denuntiationes praemittantur; nisi dispensatio obtineatur. Parochus vero scripto testabitur se easdem peregrisse, monebitque Sponsum, de quo agitur, ut a Vicario Foraneo consuetas attestaciones petat ad obtinendas a Curia testimoniales praedictas status liberi.

293. Denuntiationibus peractis nulloque detecto impedimento, Matrimonii celebratio differatur saltem in sequentem diem, nisi instet tempus vetitum, dummodo populus moneatur de nuptiis eadem ipsa die celebrandis (2).

294. Quoties tamen unica tantum sit facta proclamatio, tunc biduo saltem expectetur. Quod si post ultimam denuntiationem Matrimonium differatur ultra duos menses, una denuntiatio iteretur; omnes vero, si ultra annum (3).

295. Exteri vero, nec non ii ex Dioecesi, qui ultra annum in alia Dioecesi transegerunt, non prius admittantur ad contrahendum Matrimonium, quam attulerint testimonia status liberi. At priores addent attestacionem baptismatis: si autem vidui, testimonium quoque mortis alterius conjugis (4).

296. Haec omnia et Ordinarii sigillo muniantur et a Curia Nostra recognoscantur. Rursus recognoscantur ab eadem Curia ipsae testimoniales Parochi alterius Dioecesis

(1) Argum. cap. 7 sess. 24 Conc. Trid. de ref. matrim., et Instr. S. C. Inquisitionis a Clemente X. conf. 21 Aug. 1670.

(2) Conc. Med. 3 et Synod. Dertl. *Ceva* I.

(3) Rituale Rom. de Mat.

(4) Instruc. S. C. Inquisitionis a Clemente X. confirmata 21 Aug. 1670.

de factis publicationibus , quando super ipsas non fuit dispensatum.

297. Militum Matrimoniis , qui continuum praestant servitium , Parochi ne adsistant , nisi facta sit iis nubendi potestas , quae prius in Curia erit recognoscenda. Reliqui vero milites nubere poterunt , dummodo probent propriam libertatem. Ad id admittetur in Curia Nostra scripta attestatio Cappellani Legionis , vel depositio Centurionum , non vero commilitonum , qui sint parum noti.

298. Vagi demum incertamque sedem habentes a Parochis Matrimonio non jungantur , Nobis insciis (1).

299. At vero cum ex Tridentini decreto (2) ut validum sit Coniugium , celebrari debeat coram proprio Parocho ; dicimus quidem Parochum Sponsi valide Matrimonio assistere , non vero licite : id spectat ad Parochum Sponsae (3).

300. Deinde dicimus ad Parochum domicilii vel quasi , non autem originis spectare Matrimonii celebrationem. At vero qui rusticationis tantum gratia alicubi morantur , nec domicilium habent , nec quasi domicilium (4).

301. Aliter dicendum de famulabus , quae nubere debent coram Parocho loci , ubi famulantur. Si tamen habeant aliud domicilium vel paternum vel fraternum , illudque , inito tractatu Matrimonii contrahendi , repetant animo manendi usque dum nuptiae fuerint celebratae , hujus domicilii Parochus Matrimonio easdem jungat (5).

(1) Conc. Trid. sess. 24 cap. 7 de refor. Matr.

(2) Sess. 24 cap. 1.

(3) S. Cong. Conc. 16 Feb. 1595.

(4) S. Cong. Conc. 28 Novemb. 1702.

(5) Bened. XIV. Inst. 34 et 88.

302. Etsi tempore Adventus vel Quadragesimae Matrimonia celebrari queant, modo absque ulla solemnitate; zelum tamen Parochorum excitamus, ut hortentur fideles eo tempore Matrimonium differre, quo licet Missam celebrare pro Sponsis.

303. In Parochiali autem Ecclesia tantum, non alibi; multo minus in privatis aedibus; neque post meridiem, praesertim nocturno tempore, nisi per Nos indulgeatur, contrahantur Nuptiae (1). Id fiat stato ritu et impertita benedictione, nisi agatur de viduis.

304. Missa autem applicetur, si Sponsi postulaverint; et quidem illa, quae apposite pro ipsis in Missali reperitur, quam licet vel in duplici majori celebrare (2).

305. Si forte Parochum male feriat Sponsi inopinato circumveniant, coram testibus mutuo consensu verbis de praesenti expresso; Matrimonium est quidem validum, etsi Parochus repugnaverit; noverint tamen se, nec non suos fautores et cooperatores innodatos esse excommunicatione latae sententiae (3).

306. Pro matrimonio denunciato vel celebrato nihil amplius accipiatur, quam ferat legitima consuetudo. Si Matrimonium celebretur vel ante lucem, vel alio tempore minus consueto, nec tunc amplius exigatur. Pro Missa vero, quam Sponsi celebrari postulaverint, illa accipiatur elemosyna, quam etiam fert locorum consuetudo.

307. Matrimonio celebrato, adamussim et quidem eadem

(1) Synodi Derth. *Septala* II. et *Ceva* I. hoc tit.

(2) S. R. Cong. 20 Decembr. 1783.

(3) S. Cong. Conc. 19 Aug. 1591. — Arg. cap. 3 de Claud. desp. — Bened. XIV. lib. 2 cap. 6 de Synod. Dioecesa.

ipsa die, omnia in librum referantur ad praescriptum Instructionis Pontificiae anni 1836. Quoad fieri poterit obtineantur subscriptiones ibi enuntiatæ, praesertim testium ac consentientium, si adsint.

308. Interim Parochus sedulo invigilet, ut Conjuges pie ac concorditer vivant. Si jurgia ac contentiones oriantur, eorum animos lenire studeat et ad pacem revocare: etiam utendo opera consanguineorum vel affinium, prout prudentia ipsi suggererit.

309. Curet etiam Parochus, ut ad conjunctionem revocentur ii, qui seorsim vivunt, si spes adsit rem bene cesuram. Hortetur ad remittenda minora, cum quotidie a Deo petant, ut sibi graviora condonentur.

310. Si quis forte in Paraeciam advenerit cum foemina, quam esse uxorem affirmat; ubi Parochus prudenter suspicetur, concubinam esse, lenibus quidem verbis, sed instanter quaerat fidem celebrati Conjugii: quam si dare recuset, nec suspicio desinat, Parochus rem Nobis exponat. (1).

CAPUT XIII.

De Sacramentalibus aliisque Sacris Ecclesiae Institutis.

311. Sacramentis aliquatenus affinia sunt Sacramentalia, aliaque Ecclesiae instituta; nempe quidam ritus aut piae agendi rationes, quae ab Ecclesia usurpantur, seu approbantur tamquam Religioni utiles et opportunae pietati fovendae.

(1) Synod. Derth. Cera I. de Sacr. Matr.

312. Sunt haec fidelibus insinuanda ac commendanda ; ita tamen ut noverint quid discriminis intercedat intra ipsa et Sacramenta. Haec enim ex seipsis, seu *ex opere operato* gratiam conferunt, illa vero potius ex fide utentis, seu, ut loquuntur, *ex opere operantis*.

313. Ad Sacramentalia in primis pertinet Crucis signum, quo se ipsos fideles muniunt, cujus usum Ecclesia ab Apostolica traditione recepit (1). Quum per ipsum praecipua Religionis Mystera in memoriam revocentur, haud dubium, quin sit adversus tentationes et pericula munimen invictum. Moneantur itaque fideles, ut illo frequenter se muniant, semperque sincero Religionis sensu.

314. Item inter Sacramentalia, et quidem crebrioris usus, recensenda aqua lustralis. Ejusdem ablutione leviuscula peccata tergantur, eaque Ecclesia sanctificat atque dedicat, quae divino cultui inserviunt (2).

315. Cum Sabbato Sancto solemniter illa benedicatur, Parochi laudabilem morem retineant hujusmodi aqua aspergendi fidelium domos, vel eadem ipsa die, vel cum citius poterunt. Laudanda illorum Christianorum fides, qui eandem in sua deferunt cubicula, ut privatim pie utantur.

316. Omnino retineatur lex, qua praecipitur, ut populus solemniter ea aspergatur omnibus diebus Dominicis ante Missarum Solemnia in Cathedrali, Collegiatis et omnibus Parochialibus Ecclesiis (3).

317. Item illa, quae praecipit, ut asservetur ad omnes januas Ecclesiarum, ut ingredienti eadem se abluentes,

(1) S. Aug. enar. in ps 50.

(2) De Consecr. dist. 4 Can. 126.

(3) Conc. Med. 3, et S. R. Cong. 16 Novemb. 1649.

sanctius ad orationem disponantur : haec autem aqua qualibet hebdomada est renovanda (1).

318. Inter Sacramentalia collocanda Candelae, Cineres, Palmarum atque Oliviarum Rami, quae statis diebus Ecclesia sanctificat, atque ad ritum adhibet. Haud dubium, quin haec ex Ecclesiae prece et ob mysticam significationem (quam praestat interdum populo exponere) non parum pietatem excitent. Hinc laudabili etiam more invecum est, ut quaedam ex his in domibus fidelium ad pios per annum usus asservantur.

319. Sacramentalibus certe accensendae aliae multigenae benedictiones, quae vel populo, vel privatis personis, vel etiam rebus impertiuntur, precibus et aqua lustrali adhibitis. Illae pariter, quae solemnius in usu veniunt cum Venerabili nec non et cum Sacris Reliquiis.

320. In hisce omnibus probati mores retineantur. Vetamus proinde, ne precum formulae ab Ecclesia non probatae adhibeantur; ne aliena jura turbentur; ac potissimum ne ullus fiat turpis lucri quaestus. In eum profecto, qui huic suspicioni aditum aperiret, non leviter animadvertemus (2).

321. Cum apud omnes constet, ad Nos spectare benedictionem Sacrae cujuslibet suppellectilis, praesertim ad Sacrificium adhibendae; facultatem quidem ejusdem impertiendae faciemus, jure Nobis concessio utentes, quoties in ea non est adhibenda sacra Unctio; non vero quando Unctio requiritur, cum id sit prohibitum (3). In hac tamen

(1) Synod. Derth. *Fossati* I. tit. de Sacramental.

(2) Synodi Derth. *passim*.

(3) *Bened. XIV. Inst. 21.*

re praesto erimus fidelium necessitatibus ac votis, quoad fieri poterit.

322. Praedictarum autem benedictionum facultatem facimus Vicariis Foraneis, excepta benedictione novae Ecclesiae aut Coemeterii, pro qua specialis delegatio requiretur. Imo ex rationabili causa in casibus specialibus eandem non denegabimus Parochis aliisque.

323. Ad Sacra Ecclesiae instituta pertinent Supplicationes, quae etiam extra Ecclesiam circumducuntur. De istis edicimus, ut quae ab Ecclesia universim praescribuntur, omnino fiant, idque qua die sunt statutae. Ad easdem Clerici omnes nedum Minorum Ordinum sed et Majorum conveniant, saltem si beneficio vel officio aliquo donantur; et quidem cum propriis insignibus. Regulares item, nisi privilegio donentur. Demum Confratres aliique omnes de more sub proprio vexillo (1).

324. Quoad illas autem, quae sunt peculiares cujusque loci, omnino serventur mores recepti ac probati. Nulla tamen supplicatio noviter inducatur, Nobis inconsultis. Universim vero supplicationes fiant ordinatim, et ex pietatis sensu potiusquam ad pompae ostentationem; nec nimis sero absolvantur.

325. Etiam multiplex sacri aeris usus ad Ecclesiae instituta jure revocatur. Non solum enim campanarum senolarum pulsatione plebs Christiana ad Sacras functiones et orationem vocatur; verum etiam plura per eas discit, quae Religionem respiciunt. Festos enim dies a profestis secernit; ad solemnitatum gaudia excitatur; funera novit;

(1) S. Cong. Conc. 12 Junii 1677. — Bened. XIV. Inst. 32. — Synodi Dioec. passim.

earumque silentio vividius mœvetur ad recolenda Domini-
cae Passionis mysteria.

326. Insuper quod Sacra ejusmodi aera ex virtute acceptae benedictionis spiritus procellarum cobibere valeant, Ecclesia palam profitetur in ipsis precibus, quibus eorum benedictio perficitur. Hinc usus invaluit, ut ingruente procella campanae pulsantur; non tantum ad Fideles invitandos, ut orent; verum etiam ad eum, quem diximus, effectum (1).

327. Mandamus tamen, gravibus de causis, ne id fiat noctu; et moderatissime semper: cum turbinum dissolutio non jam fragori sit tribuenda, sed benedictioni Ecclesiae et Fidelium precibus.

328. Sunt alia praeterea signa ex Ecclesiae praescripto danda per nolae pulsum, saltem in Cathedrali, Collegiatis ac Parochialibus Ecclesiis. Sic ter in die illo excitandi sunt Fideles ad recolendum Mysterium Incarnationis Domini per trinam salutationem Deiparae, summo mane, meridie et adveniente nocte (2). Item prima noctis hora ii sunt invitandi ad exorandum pro mortuis (3). Demum singulis sextis feriis hora tertia post meridiem per Campanae sonitum sunt inducendi ad venerandam memoriam Dominicae Passionis (4).

329. Coeterum etsi mores locorum in pulsandis tintinabulis intactos velimus; magna tamen in ea re erit adhibenda temperantia; potissimum ne eorum sonitu nimium graventur infirmi. Sua etiam in nolis pulsandis servanda est dignitas majoribus Ecclesiis.

(1) Conc. Colon. 1356.

(2) Bened. XIV. Const. 13 Decemb. 1740. — et Synod. *Septala* I.

(3) Bened. XIII. 14 Septemb. 1724.

(4) Bened. XIV. loco citato.

330. Hinc ante signum Angelicae Salutationis in Ecclesia primaria alicujus loci, nolae pulsandae non sunt Ecclesiarum Parochialium nec Oratoriorum. Item feria quinta in Coena Domini post extremam pulsationem nolae Majoris Ecclesiae non licet amplius easdem pulsare in Ecclesiis Regularium, aliisque: Simili modo nec Sabbato Sancto, priusquam nolae pulsentur in dicta Ecclesia Majori (1).

331. Postremo volumus, ut Rectores Ecclesiarum accurate mandent sarvari, quae ad custodiendum aditum turris Campanarum jam fuere praescripta.

CAPUT XIV.

De Templis, Altaribus, Reliquiis et Imaginibus.

332. **A**lia praeterea sunt, quae Religio Fidelibus sacra facit. Et primo quidem cum Ecclesia sit domus Dei, quisque videt omnino sancte esse habendam. Quapropter dignitati ac Sanctitati Sacrarum aedium consulere volentes, nonnulla in mentem revocamus, quae jam sancita sunt.

333. Nulla itaque nova Ecclesia, nec Sacellum in Dioecesi erigatur absque Nostra licentia, quam non denegabimus, quando adjuncta rem suadeant, legesque omnes, quae in hanc rem cadunt, prae oculis habeantur (2). Divinus

(1) Leo X. Const. 22. — S. R. Cong. 9 Feb. 1608 et 23 Feb. 1619.

(2) Cap. ult. de Eccl. aedif. et rep. — Inst. Bened. XIV. 6 Jan. 1742.

tamen cultus in nova Ecclesia non exerceatur, nisi saltem de mandato Nostro fuerit benedicta. Quum vero Ecclesiae instauratione indigeant, eorum haec fiat expensis, ad quos spectat.

334. Omnino custodiatur illaesum, quod Ecclesiis, in quibus Sanctissimum Sacramentum asservatur, et contiguis Parochialibus aedibus competit, jus asili, juxta Concordata inter Summos Pontifices, et Reges Nostros de hac re inita (1).

335. In Ecclesia quae polluat, donec rite reconcilietur, res divinae ne amplius fiant (2).

336. Interim Ecclesiarum Rectores dent operam, ut omnia in iisdem sint composita ac munda, etiam parietes et pavementum: Ostia et fenestrae bene claudantur, quae praestat etiam velis munire, praesertim majorem portam.

337. Adsit in Parochialibus Ecclesiis Pulpitum, cujus lateri sit infixae Crucifixi Imago. Adsint etiam quaecumque ad Parochialia munera exercenda requiruntur.

338. Quod si sedilia Laicorum in Ecclesiis vel jure vel facultate obtenta collocentur, a sedibus Confessionalibus satis distent, nec Sacris Functionibus peragendis obsint; in primis vero numquam in Presbyterio ponantur, nec intra Capellarum cancellos.

339. Erigantur in qualibet Ecclesia unum aut plura Altaria ad Sacrificium celebrandum, quae cancellis, quoad fieri potest, circumsepiantur. Eadem sint saltem lateritia, quae scabellum, seu predellam habeant ligneam vel marmoream (3).

(1) Instruc. Bened. XIV. 6 Jan. 1742. — Clemens XIV. 22 Sept. 1769. — et Brev. Pii VI. 18 Ap. 1776. — 11 Dec. 1779 — et 9 Ap. 1784.

(2) Can. 11, 14, 17, 28 Distinc. 1 de Consecr.

(3) Conc. Med. 4 tit. de Capellis.

340. Quoties Altare non sit consecratum, in ejus mensa lapis sacer, seu Altare portatile infigatur, tela opertum, quod sit longitudinis saltem unciarum octo, et latitudinis septem, et in quo operculum sepulcri Reliquiarum sit integrum, nec plumbeum. Parum distet a fronte Altaris et tantillum promineat.

341. Quodlibet Altare iconem habeat, quae imaginem referat vel mysterii vel Sancti, cui dicatum est. Habeat insuper Crucem cum imagine Crucifixi et duo saltem candelabra cum tabellis, in quibus sint descriptae preces, quae commode in Missali legi non possunt.

342. Adsint demum tres tobaleae ex canabe aut lino, quarum superior a lateribus ad pedes usque altaris descendat (1): Extra actionem vero Sacrificii aliqua mappa, vel flava vel alterius coloris contegantur.

343. Altare majus, in quo ut plurimum asservatur Sanctissimum Sacramentum, prae ceteris ornetur, eidemque in Ecclesiis Parochialibus ac Majoribus umbella e fornice immineat.

344. Insuper omnino praestat, ut quaelibet Ecclesia suum Sacrarium (vulgo *Sagristia*) adnexum habeat; in eoque arcae pluteique sint, in quibus sacra supellex asservetur, quae sit idonea Functionibus peragendis, et decenter custodiatur. Sit insuper scabellum cum tabella precum, quae ante et post Missam veniunt dicendae, nec desit Imago Crucifixi et labellum cum linteo ad manus abstergendas (2).

345. Ecclesiarum bona si habeant et Fidelium oblationes si fiant, ab illis administrantur qui hoc jure potiuntur,

(1) Rubr. Missal.

(2) Rubr. Missal.

et rationes Nobis singulis annis reddantur (1). Impendantur autem quae inde proveniunt in iis, quae sunt divini cultus, nisi ad specialem usum sint determinata.

346. Parochi vero, legitimi administratores bonorum Ecclesiae Parochialis aliarumque ab ea dependentium, adhibeant Actores (*Priore*, et *Vice Priore*), qui librum habeant administrationis. Ante exitum mensis Martii singulis annis Parochi et Actores rationes supputent coram Vicario Foraneo ad id vocato tamquam Delegato Nostro. Haec, ubi non alia vel jure vel probata consuetudine inducta sit administrationis ratio.

347. Sacrae aedes usibus profanis ne inserviant, nec aliquid commune in eas importetur, nisi urgens necessitas compellat.

348. Aperiantur mane hora celebrationi congrua, et superveniente nocte claudantur, nec noctu reserentur, nisi cogat necessitas Sacramenta administrandi.

349. Claves Ecclesiarum Parochialium a Parocho custodiantur; aliarum, in quibus Sanctissimum Sacramentum asservatur, a Sacerdote, qui praest; Oratoriorum demum ab eo ad quem pertinet, vel a viro probato et omni exceptione majore (2).

350. Edoceantur Fideles, templa humiliter ac pie esse aedeunda; in iisque modeste ac religiose esse versandum; potissimum dum Sacrificium offertur; Viros detecto capite, mulieres vero velo contactas in Ecclesia consistere oportere (3). Ea demum Religio adhibeatur sacris

(1) Conc. Med. 1 et 4 de bonis Eccl.

(2) Synod. Derth. *Septata* I. de Eccles. cultu.

(3) 1 ad Corint. 11.

aedibus, ut vel in Sacratio a profanis et otiosis colloquutionibus omnes abstineant.

351. Quod si honore prosequenda sunt Tempia et Ecclesiae, quia Divino cultui mancipantur; multo majore Sacrae Reliquiae, quae vel Redemptionis nostrae Mysteriis inservierunt, vel exuviae sunt Illorum, qui nunc cum Christo in Coelis regnant (1).

352. Serventur proinde Ipsae honesto ac decenti loco, sera ac clavi clauso. Sola pietatis causa ostendantur, nec sine lumine (2). Non exponantur, nisi saltem a Clerico, qui sit in Sacris constitutus, et duo lumina tempore expositionis continuo ardeant (3). Sanctorum tamen Reliquiae ne exponantur super tabernaculum, in quo asservatur Sacratissima Eucharistia.

353. Illae tantum proponantur venerationi Fidelium, quas authenticas esse constat tum ex sigillo, tum ex literis testimonialibus, quae a Nobis erunt recognoscendae. Illae autem, quae authenticitatis documentis destituuntur, non exponantur quidem, sed decenti loco custodiantur (4).

354. Ex sententia Catholicae Ecclesiae non solum Sacrae Reliquiae venerationem merentur, sed et Sacrae Imagines, quae non parum inserviunt pietati Fidelium erudiendae et excitandae (5).

355. Parochi itaque hortentur fideles, ut debitum honorem Sacris Imaginibus adhibeant. Simul tamen eos doceant

(1) Conc. Trid. sess. 25 de invoc. Sanct.

(2) S. R. C. 22 Jan. 1701.

(3) Dicto Decreto.

(4) S. R. C. 8 April. 1628 adpr. Urb. VIII.

(5) Conc. Nic. 2 et Conc. Trid. sess. 25 loco citato.

hanc venerationem iisdem non tribui, quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae dictae Imagines representant.

356. Ne vero ulla proponatur Imago, quae minus sit apta pietati fovendae, nullum imposterum Sacrum Simulacrum, aut picta tabula noviter exponatur in Ecclesiis quibuscumque, Nobis inconsultis.

CAPUT XV.

De Funeribus et Sepulturis.

357. **E**cclēsia vel ab incunabulis pia adhibuit officia erga corpora filiorum suorum, qui in ejus communione defuncti essent, tum ut fidem futurae resurrectionis apertius profiteretur; tum ut eorum animas apud Deum suffragiis adjuvaret; tum etiam ut viventes suorum in defunctos affectuum signa darent (1). Oportet proinde, ut etiam a Nobis hic ea statuatur, quae de funeribus et sepulturis expedire censemus, ut omnia ex ordine fiant.

358. Initio nullum est dubium, quin jus funerum (salvis juribus peculiaribus) ad Parochos spectet. Parochus autem, ad quem illud jus pertinet, ille est, in cujus Paroecia defunctus domicilium, vel quasi domicilium habebat; a quo scilicet Sacramenta accipiebat (2).

359. Propterea si quis ex accidenti extra propriam

(1) 2 Machab. 12.

(2) Clementina *Dudum* de Sep. — S. Cong. Conc. 10 Maii 1727.

Paraeciam moriatur, dummodo ab illius finibus non amplius quam tribus millibus passuum distet, a Parocho domicili sepeliatur (1); ad limite tamen suae Paraeciae privatim, et sine pompa erit transferendus.

360. Huic juri renuntiasse censebitur Parochus domicili, ubi de morte edoctus non reclamaverit. Coeterum iuratae conventiones et legitimae consuetudines etiam in hac re omnino retineantur.

361. Itaque ubi in aliqua Paraecia quispiam in Ecclesiae communione defunctus sit, ante omnia ejusdem transitus est populo nuntiandus per nolaе sonum juxta morem cujusque loci; quando in eadem sit funus jure peragendum.

362. Illud vero peculiare est Paraeciis hujus Civitatis et Suburbiorum, ut pro capitibus domorum hoc signum sit etiam dandum in Cathedrali, ad quorum funera Crux ejusdem etiam Cathedralis est deferenda (2).

363. Sunt autem Capita domorum ex vulgata acceptione mares omnes, quibus pater vel avus deest, aut qui ab iisdem seorsim vivunt; nisi fratres simul cohabitent, vel patruus cum nepotibus: qui is tunc est Caput domus, qui est natu major.

364. Omnino par est, ut defuncti corpus ab obitu usque ad horam funeris non penitus deseratur, sed illi, lumine accenso, aliqua pia persona ejusdem ipsius sexus precibus adsistat (3).

365. Coeterum hora funeris ducendi a Parocho est

(1) Cap. 3 qui de sep. in 6. — Bened. XIV. Inst. 105.

(2) Synodi Derth. *Aresio* tit. de Fun. et Exeq. — *Maphaci Gambarà, Fossati et Septala.*

(3) Durand. de ritib. Eccl. lib. 1 cap. 4 n. 14.

statuenda, de qua expedit cum haeredibus convenire. Notu tamen funera non sunt celebranda (1).

366. Defuncti autem Corpus non est efferendum ante horas viginti quatuor ab ejusdem obitu, si ex morbo evenerit. At si inopinato quis decesserit, non nisi post horas quadraginta octo (2). Eveniente autem violenta morte alicujus, vel ubi suspiciones excitentur propinati veneni vel vis illatae, advertant Parochi praemittendam esse Judicialem visitationem.

367. Hora funeris assignata, omnes ad illud vocati ad Parochialem Ecclesiam conveniant, sive sint ex Clero Saeculari, sive ex Regulari, sive etiam Confratres et reliqui (3).

368. Quamvis haeredum jus sit ad funera, quos placeat vocandi (4); in Urbe tamen ista, si praeter Parochum numerus Sacerdotum ultra tres procedat, in iis ipso jure vocatus censetur Sacrista Cathedralis (5).

369. Omnes, qui funus associare debent ordine congruo ab Ecclesia Parochiali procedant ad locum, ubi de more est facienda elatio defuncti vulgo *la levata*, quae ad Parochum spectat, etsi Capitulum interesset (6): servata tamen, prout de jure, Capitulo praeeminentia.

370. In funeribus peragendis omnes procedant cum propriis insignibus. Proinde Sacerdotes et Clerici vestem talarum induant ac superpelliceum, et biretum deferant (7).

(1) S. Conc. C. 15 Martii 1704 et Clemens XI. 9 Decem. ejusd. an.

(2) S. R. C. 22 Junii 1675.

(3) S. R. C. 8 Feb. 1631. — Cong. Ep. 13 Nov. 1600.

(4) S. C. Ep. 5 Maii 1617 et S. R. C. 20 Aug. 1701.

(5) Synod. I. *Fossati* — I. *Septala*.

(6) S. C. Rit. 29 Novem. 1631.

(7) Edict. *Ceva* Ep. Derth. 16 Feb. 1684.

Illud tamen permittimus, ut, pluvia vel nive ingruente, possit assumi pileus ac superindui decens pallium nigri coloris, quod in Ecclesia erit exuendum. Confratres vero propriam cappam habeant, nec sint minus quam duodecim adultioris aetatis.

371. Ad Ecclesiam recto tramite (1) procedatur, nisi aspera aut lutuosa sit via, vel longius spatium requiratur, ut numerosus comitatus possit extendi. Per viam, juxta Rituale, psalmi devote decantentur; defunctus vero, si Clericus fuerit, deferatur cum insignibus sui Ordinis juxta idem Rituale (2).

372. Etiam Missa, si haeredibus placuerit, decantetur praesente cadavere, et quidem *de requiem in die depositionis*, nisi sit ex Solemnioribus diebus, in quibus id non permittitur, cujusmodi est etiam festum Patroni cujusque loci (3). Curent tamen Parochi, quoad fieri potest, ne diebus festis funera celebrentur (4).

373. Funebri officio peracto, defunctus sepulturae detur. Et quidem cum non vigeat praescriptum, ut defunctorum cadavera tumularentur in publicis coemeteriis, saepius fiebat, ut vel jure familiae, et gentis, vel ex electione facta, defunctus esset sepeliendus extra propriam Paraeciam.

374. Nunc vero cum id raro contingat, non praestat multa dicere de jure sepulturae gentilitiae, vel de jure eam eligendi. Adnotamus tamen in hisce casibus proprio Parocho quartam funerariam esse solvendam.

(1) S. Cong. Ep. 11 Decem. 1615. — 14 Jan. 1639.

(2) De Exeq.

(3) S. R. C. 19 Sept. 1654 et 7 Sept. 1816.

(4) Synodi Derth. *Fossati et Ceva*.

375. Adnotamus etiam, jus sepulturae in propria Ecclesia intactum manere Canonicis, Parochis, Religiosis ac Monialibus, nec non Patronis in eorum Ecclesiis patronalibus.

376. Quoties tamen, ut quispiam istorum in propria Ecclesia tumuletur, pavimento sit infringendum; id sine licentia Nostra non fiat, nisi agatur de Ecclesiis Regularium. Deinde nemo tumulandus, nisi in aliqua distantia a suppedaneo, seu *predella* cujusvis altaris (1).

377. Publica autem Coemeteria ea ratione construantur ac custodiantur, quam Leges Ecclesiasticae praescribunt. Undequaque muro convenientis altitudinis sepiantur; ostium firmis valvis stipetur, quae sera ac clavi claudantur; fenestrae ferreis cancellis muniantur. In medio crux altior saltem lignea promineat, et super januam crux ferrea ponatur.

378. Statis Ecclesiae ritibus benedicatur, nihilque in eo fiat, quod Religionem laedat. Hinc severe vetamus, ne in eo colantur vites aut arbores aliaque frugifera. Volumus autem, ut succrescentes vepres, frutices et herbae interdum succidantur, ibique comburantur (2).

379. Non tantum Religionis, sed et humanitatis sensus horret quorundam vespillonum et socordiam et avaritiam. Propterea excitamus vigilantiam ac Religionem Parochorum vel aliorum, quibus est demandata cura sacris hisce locis adhibenda, ut ejusmodi abusus cohibeant, aut saltem Nobis significant, ut efficaciter huic rei provideamus.

380. In publicis Coemeteriis insuper praestat servare,

(1) S. Cong. Ep. 10 Novembris 1599 et 23 Julii 1603.

(2) Acta Med. Ecc. p. 6.

quod Rituale praecipit, ut nempe infantes seorsim sepeliantur ab adultis (1), et Clerici, praesertim Sacerdotes, decentiori loco a caeteris seclusi condantur (2).

381. In ipsis vero, prout in alio quocumque loco sacro, nemo est sepeliendus, qui non sit baptizatus: eoque minus aliquo Ecclesiastico ritu condecorandus. Hinc extra Coemeterium sunt ponendi parvuli, quibus Baptismi Sacramentum conferri non potuit (3).

382. Imo non ii soli privandi sunt Ecclesiastica sepultura, qui manifeste decedunt alieni a communione Ecclesiae; sed et ii, qui propter crimina sua id meruerunt, de quibus loquitur Rituale (4). Iis addendi ex Pontificiis constitutionibus duellantes, etiam si ante decessum ab aliis eensuris fuerint absoluti, atque omnibus Sacramentis donati (5).

383. Cum autem in hoc saepe existant difficultates non parvi momenti, quae rem perplexam faciunt; Parochi, ut tutius agant, eandem ad Nos deferant, ut videamus, quid expediat.

384. Porro cadavera, quae semel legitime in quocumque sacro loco fuerint humata, nefas est exhumari, nisi petita Episcopi licentia, quacumque de causa (6). Nos etiam per Delegatos, ubi res postulet, eam quidem facultatem petentibus faciemus, non tamen absque iis conditionibus, quae sunt de jure.

(1) S. R. C. 12 Decembris 1620.

(2) S. Cong. Ep. 13 Maii 1650.

(3) Rit. Roman. tit. de Exeq. §. *Quibus non licet*.

(4) Loco citato.

(5) Bened. XIV. Const. *Detestabilem* 1752.

(6) S. Cong. Ep. 27 Decembris 1602 — 29 Jan. 1603.

385. Interim, fuere per defuncti sepulturam completo, Parochi quae gesta fuerunt in librum referent denatorum, servata in omnibus forma, quam mandavit saepe memorata Instructio Pontificia anni 1836.

386. Caveant vero Parochi, ne occasione funerum ob emolumenta, quae ipsis debentur, in suspicionem veniant turpis quaestus (1). Ne id contingat, ista accurate retineantur.

387. Primo quidem pauperum funera gratis fiant (2), in quibus debita lumina sunt adhibenda vel Parochorum expensis, vel Ecclesiae, si cerae emolumenta in aliis funeribus eidem cedant, nisi aliqua pia sodalitas id praestet ex loci consuetudine.

388. Deinde numquam aliquod funus differatur ob dilatam solutionem emolumenti, neque pignora exigantur, aliaque fiant hujus generis improbanda (3).

389. Demum plus non exigatur, quam ferant vel initae forte conventiones, aut Episcopi decreta, aut legitima consuetudo. Advertant tamen Parochi reprobari in jure consuetudinem plus accipiendi ab exteris, quam ab incolis (4).

390. Ut autem praememoratae legitimae consuetudinis authentica imposterum existat probatio, Parochi omnes et animarum Curatores intra tres menses elenchum ad Nos mittent emolumentorum omnium, quae ipsis adveniunt occasione cujuscumque funeris.

(1) Synod. Dertb. passim.

(2) S. Cong. Ep. 5 Maii 1617 et 31 Martii 1646.

(3) S. Cong. Ep. 14 Aug. 1590. — 20 Octobris 1597. — 23 Aug. 1692 et Synod. Dertb. *Aresio*.

(4) S. Cong. Conc. 27 Maii 1617. — S. C. Ep. 25 Maii 1640.

391. Id fiat per duplum exemplar, quorum unum in actis Cancellariae Episcopalis servabitur; alterum vero decreto Nostro munitum, prout in Domino expedire censebimus, remitemus in Parochiali Archivio reponendum.

392. Tandem Parochi moneant fideles, ut ab immodicis fletibus ac ejulatus temperent, qui alicubi emittuntur in funeribus defunctorum (1). Eisdem doceant, multo esse utilius iis, quos desunt, si precibus potius ac suffragiis adjuvent. Curent etiam, ut si quae sint in populo quoad funera vanae observantiae, prudenter evellant, etiam quoad licet iisdem obsistendo.

CAPUT XVI.

De Dioecesano Seminario.

393. **R**atum est apud omnes, Tridentinum universale Concilium, per quod Ecclesiae Catholicae innumera atque inaestimabilia commoda accesserunt; si reliqua decissent, sola, quam praescripsit, Seminariorum Clericalium instauratione, supra quam credibile cuique sit, de eadem Ecclesia optime fuisse meritum. Cum enim in ipsis informentur ad pietatem et doctrinam Cleri alumni, inde magno fidelium bono optimi Pastores ac Sacerdotes jure expectantur (2).

394. Inhaerentes propterea Praedecessorum Nostrorum vestigiis (3), omnes mentis Nostrae motus ac vires a primis

(1) 1 ad Tess. 4 — Synod. Derth. *Fossati*, et *Septala*.

(2) Sess. 23 cap. 13 de ref.

(3) Decreta Ep. Derth. *Cera*.

ipsis annis suscepti regiminis in Seminarii ampliationem rectamque institutionem contulimus.

395. Consiliis vero utentes quatuor Deputatorum juxta formam Tridentini, novam Theologiae Cathedram in eo creximus, praeter illas omnes, quas Concilium requirit. Haec vero omnia operam dabimus, ut magis magisque efflorescant.

396. Itaque, ut diximus de Ordine agentes, quisquis Clericalis habitus gerendi facultatem obtinuit, eo ipso Seminarii institutioni censebitur addictus (1). Sicuti a Seminario respuentur ii, qui disciplinam respuunt (2); ita dispensari ab eo poterunt ii, saltem ad tempus, qui hujusce dispensationis graves habeant causas.

397. Hinc ante medietatem Octobris Clerici omnes preces porrigere debent, ut vel in Seminario recipiantur, vel ab eodem dispensentur (3).

398. Admissi vero Seminarium petant in pervigilio Omnium Sanctorum, periculum facturi de iis, quae pro feriarum tempore assignata fuerint, et operam inde daturi per triduum spiritualibus Exercitiis, ut aptiores fiant pietati ac studio.

399. Seminarii Alumni singulis diebus mane ac vespere consuetas preces recitent, meditationi ante Missam vacent, et huic Sancto Sacrificio adsistant. Numquam tertiam partem Rosarii Beatae Virginis et conscientiae examen omittant. Sacramentum Poenitentiae frequentent, ad Sacram Eucharistiam vero juxta consilium prudentis Confessarii

(1) Sup. art. 237 cap. XI.

(2) S. Alphonus de Lig. in reg. pro Semin.

(3) Loc. cit. art. 238.

accedant. Diebus festis ad Cathedralē insuper veniant, ut sacris functionibus inserviant et assistant.

400. Vestem talarem semper deferant; bireto utantur quum ad Ecclesiam veniunt; galero autem, cum ad deambulandum proficiscuntur. Bini ac modeste tunc incedant, eosque aliquis Praefectus comitetur. Nec domi, nec foris cum exteris colloquantur, nisi habita a Rectore licentia, vel ab iis, qui ipsius agunt vices (1).

401. In tres classes omnes Alumni dividantur, scilicet eorum qui Sacrae Theologiae dant operam; qui Philosophiae; et qui humanioribus literis (2). Hi postremi rursus in duas classes subdividantur; neque inter se diversarum classium Alumni, nisi habita venia, communicent.

402. Praeceptoribus enixe commendamus Clericorum in literis ac in scientiis progressum. Si quem invenierint socordem vel crassioris ingenii, qui nolit vel nequeat proficere, ut Ecclesiae utilis evadat, Nos moneant, ut statuamus quid de eo sit decernendum.

403. Omnes vero tam Praeceptores, quam qui aliter Alumni praesunt, etiam exemplo curent, ut isti non in scientia tantum ac doctrina proficiant, sed multo magis in pietate, ut ex Seminarii institutione revera Dioecesis pios accipiat Sacerdotes, et optimos animarum Curatores.

404. In primis vero in haec omnia inspiciat Seminarii Rector, a quo ecclesiastica et domestica disciplina totius domus dirigatur, quique prae coeteris prudenter ac diligenter in Clericorum mores inquirere debet.

405. Ad oeconomicum Seminarii regimen praepominus

(1) Bened. XIV. Instit. 59.
(2) Conc. Trid. loco citato.

Æconomum. Is recipiat fructus omnes ac redditus Seminarii nec non pensiones alumnorum, expensasque ordinarias faciat.

406. Quidquid vero collegerit, pecunia excepta, quae pro ordinariis expensis requiritur, in arcam referat duplici clave diversi operis obsignatam, quarum una sit apud Ipsum, alia apud Rectorem (1). Quolibet mense supputationes fiant proventuum et expensarum. Singulis autem annis rationes Congregationi Seminarii reddantur.

CAPUT XVII.

De servandis Ecclesiae bonis.

407. **P**astoralis Nostrae sollicitudinis esse censemus etiam prospicere animumque intendere in conservationem bonorum temporalium, quae Domino dicata sunt, ut Ecclesiae ejusque Ministris ac pauperibus inserviant (2).

408. Monemus propterea omnes beneficiatos et quotquot quovis nomine Ecclesiastica bona administrant, ipso aequitatis jure et insuper severissimis Ecclesiae legibus ad hanc conservationem curandam teneri (3).

409. Et primo quidem numquam est satis culpanda quorundam incuria, qua documenta, quibus Ecclesiae jura evincuntur, disperduntur et amittuntur. Quod cum inde saepe fiat, quia in obitu beneficiatorum aliorumque, qui

(1) Acta Eccles. Med. p. 5.

(2) Cap. 2 de don. — Conc. Med. 3.

(3) Can. 13 et 16 q. 1 c. 12.

haec bona administrant, ad extraneorum manus veniunt; hinc nedum optamus, sed hortamur impense, ut in Archiviis haec documenta collocentur, nec nisi tradita syngrapha extrahantur (1).

410. Id fiat in Collegiatis Ecclesiis quoad omnia earumdem jura; in Parochialibus Ecclesiis quoad propria jura (2), prout suis locis statuemus (3).

411. At vero etiam simplicia beneficia possidentes oportet, ut praedictae dispersionis vel amissionis periculo occurrant; imo multo magis, quia cum nullum proprium Archivium habeant, eo facilius beneficiorum documenta disperduntur.

412. Hinc prout obtestamur eos, qui beneficia in Ecclesiis Collegiatis habent, ut in earumdem Archiviis haec documenta deponant: ita et eos, quorum beneficia in Parochialibus sunt erecta, rogamus, ut documenta suorum beneficiorum Parochiali Archivio commendent, facultate retenta eadem inde extraendi, ubi opus (4).

413. Praeterea meminerint beneficiati alique administratores, alienationes quascumque bonorum Ecclesiae, siquidem ea sint immobilia vel mobilia pretiosa, vetitas esse sub poena excommunicationis, nisi fiant facultate obtenta (5).

414. Apud omnes constat, quid hic veniat nomine alienationis; necnon quousque Episcopus in hac re possit, et quando requiratur Apostolicum beneplacitum. Si quae in hisce

(1) Conc. Med. 1 et 2.

(2) Const. Bened. XIII. *Maxima vigilantia* an. 1727 18 Kalen. Julias.

(3) Vid. art. 485, 486, 487 item 520, 521, 522.

(4) Synod. Derth. *Fossati* I. tit. de conserv. jur. et bon. Eccl.

(5) Const. Pauli II. *Ambitosae* tit. de bon. Eccles. non alien. inter Extrav. Com.

fraudes fiant, meminerint, se quidem Sacrorum Canonum, non Dei severitatem effugere posse (1).

415. Coeterum cum locationes triennales ab Ecclesia permissae suis non careant incomodis; ut hisce occurratur, quae in longius tempus fiant, post debitam veniam, dummodo novennium non admodum excedant, non improbabilimus. Aliter censemus de locationibus longioris temporis, cum experientia constet, vix sine damno fieri; quidquid videatur, cum ineuntur.

416. Prae coeteris improbamus locationes, quae scriptis non ineuntur; imo praescribimus, ut intra annum omnes locationes bonorum quoruncumque ad Ecclesiam spectantium scriptis exarentur, nisi locatio jam finem accipiat. De hac servata ubique lege inquirent, et certiores Nos faciant tam Vicarii Foranei et Regionum Praefecti, quam qui Collegiis Canonorum praesunt (2).

417. Non parum insuper Nobis cordi est conservatio aedium, utcumque ad Ecclesiam pertinentium, quae saepe incuria possidentium ad ruinam vergunt. Et quidem quoad aedes Parochiales illud servetur, quod jure cautum est pro earum restauratione. Saepe tamen si diligenti cura leviusculis sumptibus propulsarentur minora damna, gravioribus occurreretur.

418. Quoad alias vero, beneficiati aliique Administratores serio recolant debitum, quod iisdem imminet, eas instaurandi instar boni patrisfamilias; onusque gravissimum, quod in se sumunt, damna reficiendi, si negligant; potissi-

(1) Const. praed.

(2) Conc. Mediol. 1 et 4 — Synod. Dertb. *Ceva* de bon. Eccl. non alien.

num si eousque res devenerit, ut jam divendere sit satius, etiam iniquo praetio, quam easdem instaurare (1).

419. Qui vero agrorum cultus a locatoribus aut colonis adhibeatur, beneficiati aliique inspicere non negligant, ne eo adducantur, ut deterioribus conditionibus sint postea locandi.

420. Demum meminerint quoad arbores, liberum iisdem non esse sine venia eas succidere, etsi maturae sint et non frugiferae. Si vero a ventis dejiciantur vel moriantur, novarum plantationem, praesertim quae sint utilioris fructus, non negligant (2).

CAPUT XVIII.

De vita et honestate Clericorum.

421. » **C**um nihil sit (ut verbis utamur Sacrosanctae » Tridentinae Synodi), quod alios magis ad pietatem et » ad Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et » exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt... decet » omnino Clericos in sortem Domini vocatos sic vitam » moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, » moderatum ac Religione plenum praeseferant » (3).

422. Hinc ad Ecclesiasticam disciplinam sartam tectamque servandam, ea, quae ab Antecessoribus Nostris,

(1) *Can. 3 Can. 10 q. 3. — Can. 9 de consecrat. dist. 1.*

(2) *S. Cong. Cone. 27 Jan. 1765.*

(3) *Sess. 22 de ref. cap. 1.*

potissimum *Dossena, Aresio, Fossati, Septala et Ceva* salubriter copioseque sancita sunt, et temporibus nostris congruunt, praesentibus decretis renovamus.

423. In primis itaque vir Ecclesiasticus, ut ab omni specie mali absteat, nullas permittat mulieres secum degere praeter matrem et sororem vel amitam (1). Famulas tamen quadragenarias, si sint bonae famae, assumi tolerabimus. Quaecumque autem ex iis assumpta fuerit foemina, Nobis significetur (2).

424. Alias praeter has mulieres ad famulatum vel convictum adhibere severe est prohibitum, nisi in peculiaribus adjunctis fuerit a Nobis unicuique indultum (3). Quod si fecerimus, Vicarium Foraneum edocebimus. Isti autem omnes novationes vel personarum substitutiones, quae Nobis inconsultis fieri possent, Nobis significant.

425. Haec de Parochis aliisque viris Ecclesiasticis, qui domui suae praesunt vel praesesse censendi sunt, non de iis, qui vitam agunt cum consanguineis. Attamen et isti, si publice constet ab iis domum regi, famulas, quae quadragenariae non sint et bonae famae, absque facultate Nostra non assumant.

426. Viro Ecclesiastico vetamus praeterea, ne Nobis insciis et inconsultis cum familia, quae sit ipsi cognatione extranea, et in qua mulieres adsint, contubernium ineat.

427. Omnes Clerici insuper caveant a familiari consuetudine cum mulieribus, quae obloquendi praebeat occasionem. Iphis penitus interdicitur puellas etiam illustres legere,

(1) Conc. Nic. 1 can. 3 et Lat. 1 cap. 3 — Decr. gen. Cl. 43 Visitat. Ap. *Ragassone* Ep. *Famaugust*.

(2) Synod. *Dertb. Dossena et Ceva*.

(3) Cap. *inib.* de coab. Cler.

scribere, canere aut alicujus instrumenti sonum docere (1).

428. Abstineant Clerici a scenicis spectaculis, multoque magis a choreis, etiam privatis. Imo nec earundem sint spectatores, neque in suis aedibus permittant. Numquam vero personati incedant (2).

429. Insuper abstineant a cauponis seu tabernis, nisi iter agant. Ii, qui etiam semel easdem adeant ludendi causa, ipso facto sint suspensi.

430. Tempus ne terant inutiliter in apothecis aliisque officinis, ubi saeculares saepe otiantur. Alieni quoque sint a comessionibus, conviviis ac nocturnis utriusque sexus promiscuis conversationibus (3).

431. Ab aleis aliisque hujus generis ludis omnino abstineant. Honestae recreationis causa ludis decoris ac permissis indulgeant quidem, non tamen in publicis locis; nec per immodicum tempus, nec ad lucrum faciendum (4).

432. Venationem quidem, dummodo non sit clamorosa, Clericis non interdiximus; dignis tamen de causis volumus, non solum ut Clericalia insignia ipsi retineant, diebus festis abstineant, nec suis muneribus ob eandem desint; verum etiam ut antea quaerant a Nobis scriptam hujus rei veniam, quam non difficulter dabimus. Qui sine ea venationi indulgeat, graviter a Nobis punietur (5).

433. Quum nemo militans Deo implicare se negotiis

(1) Conc. Med. 2 et Synod. Dertb. *Fossati* I.

(2) Conc. Med. 3 et Synod. Dertb. *Fossati* et *Ceva*.

(3) Conc. Lat. 4 can. 16.

(4) Cap. 15 de vita et honest. Cler. — Cap. 11 de exc. Prael. — Conc. Med. 1.

(5) Can. 8, 9, 10, 11, 12 et 13 Dist. 86 — Cap. 1, 2 de Cler. Venat. — Bened. XIV. de Synod. Dioeces. lib. 11 cap. 10 §. 10.

saecularibus debeat (1). Clericus, cui non sit facta facultas in utilitatem Ecclesiae, sui suorumque ac miserabilium personarum, Advocati munus non exerceat; multoque minus alias artes a Clericali militia magis alienas (2).

434. Vetamus autem severe, ne quis laicis minister fiat, nec procuratoris officium ab iis acceptet ad eorum negotia temporalia gerenda. Aliorum curam vel tutelam non assumat. Ubi vero tutelam vel curam alicujus propinquae personae gerendi necessitas Nobis significetur, hujus rei facultatem facile concedemus (3).

435. Nemo autem Clericorum pro laicis fidejubeat; nec coram Judice laico testimonium dicat, quin facultatem ab Episcopo scriptam obtinuerit; nec juret, si Sacerdos sit, nisi *tacto pectore* more Sacerdotali, et instet, ut habitae facultatis mentio fiat in actis. Insuper, si de criminali causa agatur, protestationem emittat in eodem actu ad normam cap. *Praelatis de homicid. in 6* (4).

436. Cum Sacri Canones et Pontificiae Constitutiones sub gravissimis poenis a quolibet mercimonio ac negotiatione, sive per se sive per alium exerceatur, Clericos omnes arceant (5; caveant etiam atque etiam, ne lucri cupiditate illecti ea sibi credant permissa, quae ad negotiationis speciem revocantur, uti esset locare boves ad hoc specialiter emptos; bombyces educare foliis aliunde

(1) 2 ad Tim. 2.

(2) Can. 7, 9 caus. 12. — Cap. III. et X. Ne Clerici vel Monachi — Conc. Med. 1.

(3) Cap. 5 de vita et honestate Cleric.

(4) Epist. S. Congr. Immunit. Ecc. 14 Junii 1823.

(5) Cap. 6 ne Clerici vel Monachi — Bened. XIV. Const. *Apostolicae*. — Clem. XIII. Encyc. *Cum parum*.

comparatis quam a praediis propriis; animalia emere et ad societatem dare; multo magis vero alienos agros lucri gratia conducere (1).

437. Ex hoc vero Nos harum legum observantiam quammaxime urgemus, quod Ecclesiasticus vir hisce rebus deditus, lucri amore jugiter crescente, omnes ad hoc dirigit cogitationes, nec nisi de hoc loquitur, nulla pace fruitur, ad mercatus ac nundinas currit, officia negligit vel perfunctorie absolvit; adeo ut sibi ac coetui sordidae avaritiae notam prae saecularibus inurat.

438. Alia sunt, a quibus Clericus abstinere debet, etsi minus praedictis inordinata videantur. Haec autem dicimus nimium corporis cultum vestiumque formam ab ejusdem statu abnormem (2).

439. In quo ut improbamus abjectam incuriam, qua nonnemo vestibus conscissis ac luridis se contemptui objicit; ita multo magis damnamus quorundam saecularem elegantiam, quam qui inspicit, illa Hyeronimi sponte usurpare potest: *Tales cum videris, sponso magis existimes, quam Clericos* (3).

440. Quare etiam habitu et corporis cultu Clericus Fideles aedificet; talarem vestem globulis clausam ut plurimum deferat, vittamque ceruleam vel albam collo circumdatam; et galero triangulato utatur. Si in itinere vel rure, vel etiam ad deambulandum contractiorem ac breviorum habitum adhibeat, is infra genua notabiliter descendat, nec formam referat, quae apud saeculares obtinet, et nigri sit coloris (4).

(1) S. Cong. C. 1627. — 7 Octob. 1562. — Conc. Mediol. 1.

(2) Conc. Trid. sess. 14 cap. 6 de ref.

(3) Ep. 22 ad Eust.

(4) Bened. XIV. Inst. 21, 9 et 10.

441. Tonsuram proprio Ordini congruam deferat (1), comam non nutriat nec ad formam saecularium concinet (2). Etiam ab istis, quae viro quidem Ecclesiastico congruere possunt, sed forte excedant gradum, quem ipse in Ecclesia tenet, absteineat: ut esset annulum deferre. Haec siquidem vanitatem sapiunt. In omnibus demum modestam simplicitatem referat ac decoram gravitatem.

442. Minora hactenus attigimus; modo quae directe respiciunt animi compositionem et sanctitatem. Serio igitur recogitent Clerici et Sacerdotes, quae et quanta morum sanctitas in ipsis requiratur. Tantum enim Clericus reliquis fidelibus praecellere debet, quantum Coelum supereminet terrae (3).

443. Propterea Clerici non solum accurate et pie obeant propria munia tam communia, quam specialia sui officii (si quod gerunt); verum etiam, quae pietatis sunt ardentius colant, Ecclesiae ministeria frequentent, et divini cultus studiosi Ecclesiae functionibus rite intersint. Ad fidelium quoque aedificationem concionibus adsistere non negligant (4).

444. Dein de interiore animi puritate solliciti mentalem orationem diligant, illique vacent; ad Sacramentalem Confessionem saepe saepius accedant (5). Ecclesiasticum pensum et Sacrificii celebrationem omni pietatis sensu persolvant; devotionem erga Christum Jesum in Sacramento Altaris

(1) Conc. Lat. IV. Can. 16.

(2) Cap. 4 de vita et hon. Cler.

(3) Isid. Hispal.

(4) Conc. Med. I. — Synod. Dertb. *Dosseua*, *Septala*.

(5) Decr. Gen. Cler. 5 dict. *Vis. Ap. Ragassone Ep. Famaug.*

latitantem et Beatissimam Virginem Deiparam et cordi habeant aliisque insinuent.

445. Ne unquam in pietate tepescant, sed de virtute in virtutem progrediantur; Spiritualibus Exercitiis, sin minus singulis annis, interdum saltem dent operam (1).

446. Dum confidimus futurum, ut mos invectus colligendi Clerum Dioecesis in aedibus Seminarii ad ejusmodi Exercitia non facile concidat; enixe optamus hortamurque, ut omnes frequenter huic spiritus renovationi incumbant. Quamvis aegre, hujus rei praeceptum illi facere cogemur, qui desiderio Nostro morem gerere admodum negligeret.

447. Imo praecipimus recentioribus Presbyteris, ut ad fovendum vel revocandum Spiritum Ecclesiae educationis, anno statim ordinationem sequente Spiritualibus Exercitiis vacent, eademque singulis triennis repetant saltem ad primum decennium Sacerdotii.

448. Quotquot insuper sunt in Sacro Presbyteratus Ordine constituti, sedulo recogitent, et dici et esse debere *Lumen mundi* (2). Quapropter videant, ne Ecclesiasticis studiis, potissimum Sacrae Theologiae et Sacrorum rituum valedicant. Imo ne ullam sinant praeterire diem, quin aliquid ex libris ipsorum conditioni congruis mente decerpant.

449. Ut ad sacra studia magis magisque excitentur, libenter intersint Congregationibus moralibus, quae in Vicariatu fient, vel in loco ubi degunt, si ex iis est, in quibus omnes congregationes anni habentur. Ad eas vero omnino conveniant, qui facultatem Confessiones excipiendi

(1) Clem. XI. Encyc. 1 Febr. 1710. — Bened. XIV. 2 Decemb. 1750.

(2) Matt. 5, 14.

vel habent, vel habere cupiunt, multoque magis si jam curam exercent animarum.

450. Uterius domum suam piis legibus administrent; Confratres in ministerio honore praeveniant; erga Superiores debitis non desint obsequii significationibus. Paucis. Omnium Fidelium forma facti in omnibus se praebeant, sicut decet Dei Ministros; ut alii oculos in ipsos conjicientes discant quid facere debeant, quidve effugere, ut salutem adipiscantur (1).

CAPUT XIX.

De Capitulis et Canonicis Ecclesiae Cathedralis et Collegialium.

451. Quae nuper dicta sunt, eo congruentius Canonicis omnibus aptantur, quo spectabiliorem esse constat eorum gradum in Ecclesia Dei. Etsi enim soli Ecclesiae Cathedralis Canonici proprie constituunt Episcopi Senatum, et jure dicuntur Ejus Consilarii et Assessores; sua tamen nec exigua laus competit etiam Canonicis Collegiatarum, qui aliquando dicuntur Coadjutores et Cooperatores Episcopi (2), et quorum Collegio dignitas propriae Ecclesiae amplificatur.

452. Jure propterea fore confidimus, ut Ipsi quo magis

(1) 2 Petri 5.

(2) Conc. Lat. sub. Innoc. III.

dignitate praestant, eo magis integritate morum, doctrina et pietate praecellant (1).

453. At vero cum peculiariora munia Canonicos urgeant, hujus loci est ea non praetermittere. Horum primum sit residentia, quam Sacri Canones ab iisdem requirunt, quaeque saltem novem mensium unoquoque anno esse debet, nisi Ecclesia, cui Canonici inserviunt, longiorem requirat.

454. In hac autem re non dubitamus Canonicos muneri suo non defuturos, cum nemo nesciat, quam graviter Concilium Tridentinum animadverti ab Episcopo velit in eos, qui hujusmodi legem negligant (2).

455. Quamquam vero, si Ecclesiae, cui addicuntur, consuetudo non obstet, Concilium vacationes non excludat; non possunt tamen Canonici iis indulgere vel eodem tempore simul ultra tertiam ipsorum partem, vel in Adventu, Quadragesima ac Solemnioribus Festis (3).

456. Nec inanis et otiosa sit oportet haec Canonicorum residentia, quibus servitium Chori imponitur: Hoc (nisi aliter ferat legitima conditio alicujus Collegiatae, quae non sit insignis) debet esse quotidianum ac plenum, ut scilicet nulla pars divini officii in Choro praetermittatur. Etiam concioni Canonici interesse debent, quando concio habetur veluti pars functionum Capitularium (4).

457. Cum autem Missa Conventualis (unica vel multiplex, prout fert ritus) constituat partem Divini Officii, et quidem

(1) Conc. Trid. sess. 24 cap. 12 de ref.

(2) Conc. Trid. dicto loco — Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 13 cap. 9.

(3) S. Cong. Conc. 12 Junii 1631 — et Conc. Trid. loca citata.

(4) S. Cong. Conc. 13 Jan. 1619 — et Conc. Trid. dicto loco.

digniore; nullibi profecto, nec umquam erit praetermittenda. Haec celebranda non est, dum Chorus Horas persolvit, sed debito tempore ac ratione; nimirum post recitationem illius Horae, quam Rubricae indicant, et cum cantu, nisi adsit justa dispensatio (1).

458. Etsi ex ritu plures aliquando sint Missae Conventuales celebrandae; Canonici tamen non tenentur eas omnes applicare pro benefactoribus cujusque Ecclesiae, seu pro Collegio, ut loquuntur; sed tantum unicam in die, nisi consuetudo aliter poscat, quam Benedictus XIV. servandam esse jubet (2). Hanc obligationem quaecumque alia Missa in die urgeat, seu Parochialis, seu Anniversarii, tollere nequit.

459. Ad Chorum (3) itaque Canonici convenient, prout fert horaria tabella ab Episcopo approbata. Qui vero habitum talarem domi non induerit, ut absens habebitur (4). Insignia Canonicalia in Sacrario religiose assumant, et omnes ad loca sua ex ordine veniant ac maneant (5).

460. Qui legitimo tempore non venerit, aut tempore Chori ex nulla necessitate in Sacrario diu moretur, aut ante praestitutum finem ex arbitrio egrediatur, absens censeatur (6).

461. In Choro omnes juxta vires canant vel psallant, idque distincte ac devote, voce concordi ac debita mora (*pausa all' asterisco*) (7). Altera pars Chori sequentem

(1) Rub. Miss. §. 3. — S. Cong. Conc. 22 Decemb. 1753.

(2) Const. *Quum semper* 19 Augusti 1744.

(3) S. Cong. Conc. 18 Novemb. 1645.

(4) Synod. Derth. *Ceva* tit. de Canonicis et Dignit.

(5) Conc. Med. 1. — et Synod. Derth. *Fossati* l.

(6) Bened. XIV. Inst. 107 §. 10.

(7) Bened. XIV. dicto loco §. 13.

versiculum non incipiat, quin prima praecedentem plene absolverit (1).

462. Ibidem ad Rubricarum praescriptum omnes stent, sedeant, genuflectant, caput inclinent, aperiant aut tegant. A confabulationibus abstineant, nec, dum Chorus psallit aut canit, aliud peragant; secus habeantur velut absentes (2). Videat qui Choro praest, ut Chori disciplina ab omnibus retineatur; in quo ejus conscientiam oneramus (3).

463. In omni Ecclesia Collegio Canonieorum donata adsint distributiones, quae concedantur praesentibus, vel absentibus ex legitima causa; aliis vero denegentur, prout Sacris Canonibus praescribitur (4).

464. Habebuntur vero uti absentes ex causa legitima, qui de mandato Capituli res et negotia Ecclesiae actu procurant, vel ipsius Capituli; qui aegri sunt vel convalescentes pro iis Horis, quibus benevalentes consueverant Choro interesse, et attentis Ecclesiarum consuetudinibus; qui jubilationis titulo vel alia justa causa dispensationem obtinuerunt, alique ejusmodi, prout leges et statuta ferunt (5).

465. Non habebuntur tamen in hoc censu, qui indulgent vacationibus etiam a Tridentino permissis, nisi Capitulum ad hoc habeat aliquod privilegium (6). Adnotandum quamlibet collusionem circa distributiones a praefato Concilio

(1) Extrav. Joan. XXII. tit. de vita et honest. Cleric. — Decr. S. Cong. Conc. promulg. an. 1703 jussu Clem. XI.

(2) Conc. Med. 1 p. 2 cap. 53.

(3) Conc. Med. 1 de Praef. Chori.

(4) Cap. unic. de Cler. non resid. in 6. — Conc. Trid. sess. 21 cap. 3 de reform. — sess. 22 cap. 3. — sess. 24 cap. 12.

(5) Conc. Trid. sess. 24 cap. 12 de reform. — S. C. Conc. 15 Ap. 1611 — et 12 Septem. 1648. — Bened. XIV. Inst. 107 §. 9.

(6) S. Cong. Conc. 16 Septemb. 1750.

non solum prohibitam fuisse, sed etiam irritam factam (1).

466. Ut autem constet de servitio, quod unusquisque praestat, adsit liber, in quo cujusque puncta adnotentur; et deputetur, qui id exequatur, Punctator. Hic jurejurando promittat se fideliter officio suo functurum (2). Qui si anceps fuerit in muneris sui executione, rem in genere proponet in Comitibus Spiritualibus.

467. Imo sit duplex liber ejuscemodi et duplex qui adnotet, alter ab Episcopo, alter a Capitulo deputatus; quorum libri singulis hebdomadis simul conferantur.

468. Ad finem anni puncta omnium Capitularium computentur, ut decernatur ac retribuatur, quod unicuique debetur ex praestito servitio. Libri residentiae, ubi compleantur, in Archivio Capitulari deponantur (3).

469. Canonici praeterea, potissimum si sint Ecclesiae Cathedralis, Episcopo inserviant sacris functionibus operam danti vel in propria eorum Ecclesia, vel in alia Urbis; imo etiam in Dioecesis regimine juxta Sacros Canones Eisdem assistant (4).

470. Omnes autem Canonici recenter creati illa praestent, quae juxta Canones et peculiaria statuta ab ipsis requiruntur; cujusmodi est jusjurandum de servandis juribus, statutis et legitimis moribus propriae Ecclesiae; cujusmodi est etiam probatio, quae iuitio iisdem imponitur; experimentum item de scientia in cautu Gregoriano; aliaque

(1) S. Cong. Conc. praed. decr. 16 Septembris 1650.

(2) S. Cong. Conc. 17 Martii 1619.

(3) Conc. Med. 1.

(4) Conc. Trid. sess. 24 cap. 12. — S. Cong. R. 22 Julii 1603 — et 10 Januar. 1640.

hujusce generis (1). Illa tantum interdicuntur, quae a novo Canonico exigentur in utilitatem aliorum Canonicorum (2).

471. Coeterum Capitula Canonicorum sibi constituent Officiales tum ad res gerendas, quae suae administrationi subsunt, tum ad alia officia implenda, prout in unoquoque Capitulo obtinet (3).

472. Ejusmodi officia, quoad fieri poterit, singula singulis conferantur, ut omnes de Capitulo honorum atque onerum sint participes, nec a quopiam recusentur, nisi legitimas habeat rationes id faciendi (4). Officiales autem deputabuntur singulis annis stato tempore, vel per confirmationem eorum, qui anno praecedenti officia gesserunt, vel per aliorum electionem.

473. Ab iis Capituli Officialibus, quibus aliqua negotiorum gestio demandata est, eidem Capitulo quolibet anno rationes reddantur; illa alia semper salva redditione rationum, quae Nobis est facienda.

474. Ad haec omnia, nec non ad illa statuenda, ad quae Capituli deliberatio requiritur, habebuntur Capitularia Comitia, quibus intererunt quotquot suffragium in Capitulo ferre possunt (5).

475. Ut legitima sint, cogantur ab eo, qui hoc jure potitur, vel ab eo, qui illum, si absit, repraesentat; omnes vocentur, qui sunt vocandi; et adsint duae ex tribus partibus Capitularium jus suffragii habentium.

(1) Conc. Med. 2.

(2) Conc. Trid. sess. 24 cap. 14. — Bulla Pii V. *Durum nimis* 1 Jun. 1570.

(3) Conc. Med. 1. — Synod. Dert. *Ceva*.

(4) S. Cong. Conc. 16 Maii 1727.

(5) Conc. Med. 1.

476. Ut vero deliberatio sit valida, tot convenient suffragia quot jus vel statuta exigunt; secreto ferantur, quando res postulat, aut quando vel unus ex Capitularibus requirit (1).

477. Quae sunt gravioris momenti, non definiantur in iis ipsis comitiis, in quibus primo proponuntur; nec comitia, nisi statis precibus inchoentur ac claudantur (2).

478. Optamus et hortamur, ut ad dignitatem actionis comitia habeantur in habitu choralis. Districte vero velamus, ne aliquid in iis proferatur, quo vel minimum aliquis laedatur; nec e contra a quopiam honesta Capitularium libertas comprimatur (3).

479. Quae in comitiis statuuntur per Cancellarium Capituli in acta referantur; nec claudatur actio, antequam actus deliberationis praesentibus legatur. Acta vero erunt custodienda in Archivio Capitulari. Quaecumque in comitiis dicta ac deliberata sunt, nemini pandantur (4).

480. Cum omnes qui suffragium ferre possunt, nisi justam habeant rationem, quae eosdem eximat, teneantur comitiis interesse, punctentur qui absunt (5).

481. Sunt et alia comitia a Capitulis habenda, quae spiritualia nuncupantur, quia Chori disciplinam aliaque hujus generis respiciunt. Volumus autem, ut haec cogantur semel saltem in mense prima singulorum mensium die profesta non impedita, post vespertinum Officium. Erit vero dies impedita, si occurrat Capitulo post Vesperas aliqua extraordinaria functio.

(1) S. Cong. Conc. 16 Jun. 1683.

(2) Conc. Med. 1. — Decr. *Maph. Gambara* Ep. Dertb. 22 Dec. 1592.

(3) Conc. Med. 1 ut sup.

(4) Innoc. XI. in Brev. 8 Jan. 1678.

(5) Conc. Med. 1.

482. Haec comitia habeantur veluti ipso jure indicta. Qui praest, aut ejus locum tenet, quin alia praemonitio requiratur, per tintinnabuli pulsum colligi jubeat: de quo ejus conscientiam oneramus. Si quis abierit, veluti absens habeatur pro omnibus Horis, quae vespere recitantur (1).

483. In hisce comitiis, ubi nihil sit proponendum circa Chori servitium, legantur Statuta Capituli de Chori disciplina; decreta Synodalia, vel etiam Conciliorum Provincialium, ipsiusque Sacrosancti Concilii Tridentini de Canonicis; aut aliquid ex Rubricis.

484. Is autem legat qui postremus in Capitulo sedet, saltem ad horae quadrantem, ad nutum ejus, qui praest.

485. Hic vero hortamur, ut Capitula, quae hucusque destituuntur Statutis, eadem sibi condant, in quibus Chori servitium aliaque Capituli, prout probatis moribus obtinent, scripto determinentur. Ejusmodi Statuta approbationi Nostrae proponentur. Etiam Capitula, quae Statuta quidem habent, sed incompleta, ad eadem perficienda hortamur, a Nobis item approbanda.

486. Capitulum praeterea unumquodque suum habeat Archivium, in quo praeter acta Capituli et libros residentiae, quaecumque jura custodiantur, seu ipsius Capituli, seu Ecclesiae, seu cujuslibet Instituti, quod a Capitulo administraretur (2).

487. Consultum etiam videretur, si vel ipsi Praebendati, et qui habent Beneficium in Ecclesia Cathedrali vel Collegiali erectum, in Archivium conferrent jura propriae

(1) Synod. Derth. *Ceva* I. tit. de Can. et Dign.

(2) Const. Bened. XIII. 18 Kal. Julias 1727 *Maxima vigilantia.* — et Conc. Med. III.

Praebendae aut Beneficii, salva facultate extrahendi quotiescumque aliquo documento opus haberent.

488. Archivium hoc suum habeat Custodem a Capitulo deputandum, cui omnes, quae videntur necessariae, cautiones praescribantur.

CAPUT XX.

De Parochis

aliisque animarum Curatoribus.

489. **I**nter varios Ministrorum Ordines, quibus fulget Ecclesia, utilissimus profecto ac magnopere Fidelibus accomodatus censendus Parochorum coetus; qui, cum in partem Episcopalis sollicitudinis vocentur, jure Episcopi cooperatores dicuntur.

490. Hinc in Ecclesia Parochi magna semper in existimatione et honore fuerunt. Cum itaque in Domini vinea excolenda et splendidam et laboriosam operam navent; merito hos omnes, per quos gregis Nobis demandati salus potissimum obtinetur, effuse amplectimur.

491. Et reapse ex iis, quae hucusque de Parochorum officii sparsim memorata fuerunt, liquido constat eosdem de fidelium salute incessanter, ab eorum ortu ad tumulum usque et ultra, sollicitos vivere.

492. Quae cum suis quibusque locis dicta sint, juvat hic primum colligere, quantae animi virtutis ac sanctitatis Parochus esse debeat, cui perpetuo imminent tam ardua, tamque veneranda ministeria.

493. Initio siquidem quis ambigat, Parochum peculiari quadam ratione ea cavere ac praestare debere, quae ad Clericorum honestatem cavenda, vel praestanda dicebamus? Deinde quis non cernat, eundem non exigua doctrina, prudentia ac zelo praeditum esse debere, ne in officiis suis vel delinquat, vel deficiat?

494. Hinc Ecclesia ad Parochos constituendos specialem legem dixit, qua dignioris aptiorisque delectus certo certior fieret. Legem dicimus concursus, sine quo nullum generatim Parochiale Beneficium, dummodo non sit patronatus laicalis, est conferendum, etsi collatio ad Sedem Apostolicam spectet (1).

495. Vacante igitur aliqua Paroecia, brevi est indicendus concursus, juxta formam, quam Concilium Tridentinum praescripsit, et prout a Benedicto XIV. pressius fuit constitutum (2).

496. Determinata die quotquot concurrunt erunt examinandi coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali, vocatis Examinatoribus Synodalibus, vel Prosynodalibus, non paucioribus, quam tribus, qui jurare debent, se quacumque humana affectione posthabita, fideliter munus executores (3).

497. Qui examinari voluerit propositis quaestionibus scripto respondebit, et conciunculae praescriptae specimen exhibebit. Duobus vero saltem diebus ante concursum ad Curiam afferret testimonia morum, confessionum, servatae

(1) Conc. Trid. cap. 18 sess. 24 de ref. — Const. Bened. XIV. *Cum illud* 14 Decemb. 1742.

(2) Loc. cit.

(3) Cit. loc. — S. Conc. C. 10 Nov. 1724, et 25 Junii 1756.

Ecclesiasticae Disciplinae ac servitii eousque praestiti (1).

498. Examinatores autem non solum de Concurrentium scientia iudicium ferre tenentur; sed et scrutari eorum mores, prudentiam, aetatem aliasque dotes, quibus praeditus sit oportet, cui animarum regimen est committendum; quod nisi praestent, nullus erit concursus (2).

499. Ad ipsos tantum, non ad Episcopum, pertinet iudicium ferre de idoneitate Concurrentium. Episcopi erit post eorum decretum ex his, qui idonei fuerint ab Examinatoribus renuntiati, illum eligere, quem, doctrina et omnibus aliis inspectis, quae sunt inspicienda, prae coeteris magis idoneum iudicaverit (3).

500. Quod si Paraecia sit juris patronatus ecclesiastici, tunc quoque habendus erit concursus; nisi quod Patronus, ex variis renuntiatis idoneis, quem mavult eligere potest, si institutio ad Episcopum spectat; si vero ad alium, ipse Episcopus de maiore idoneitate iudicium fert et Patrono designat, qui instituendus est (4).

501. Quoad Paraecias Patronatus laici vel mixti, etsi concursus non sit indicendus, nisi forte inter plures, qui paribus votis fuerint a Patronis praesentati; semper tamen nominati experimento sunt subjiciendi coram Episcopo et tribus Examinatoribus Synodalibus aut Prosynodalibus, ut de eorum idoneitate constet non solum quoad doctrinam, sed etiam quoad reliqua (5).

(1) Cit. Const.

(2) Loc. citat.

(3) Conc. Trid. dicto loc. versic. *Peracto perinde* — S. Cong. Conc. 10 Jan. 1721.

(4) Conc. Trid. loc. cit. versic. *Si vero*.

(5) Conc. Trid. dict. loc. versic. *Quod si jus Patronatus*.

502. Jus quidem hujusmodi Patronorum per designationem alicujus, qui ab Examinatoribus fuerit renunciatus ineptus, non extinguitur; sed alium et alios possunt ipsi proponere, dummodo intra legitimum tempus id faciant. Meminerint vero ipsorum conscientiam graviter onerari, si eum non eligant, quem ipsi digniorem censent (1).

503. Quisquis itaque Paraeciam aliquam legitima ea ratione adeptus fuerit, quam diximus, Parochus constituitur et ad omnia Parochorum munia tenetur; sive quae jam dicta sunt sive ad ea quae dicenda supersunt. Sed cum haec praestari nequeant ab eo, qui in Paraecia non residet, hinc inter Parochi obligationes illa eminet, qua ad personalem residentiam adigitur.

504. Hujus residentiae lex adeo urget, ut qui eam non servaverint, ne faciant quidem fructus suos. Ad bimestre tamen etiam continuum possunt in anno abesse ex rationabili causa, dummodo idoneum relinquunt substitutum, et veniam obtineant ab Episcopo. Nonnisi vero ob necessitatem vel gravissimam causam longior absentia Parochis permitti potest (2).

505. Ideo dum Parochos monemus, ne nimium saepe vel ad unam diem a mane usque ad vesperam a residentia discedant, etiam substitutum relinquentes; volumus, ut ultra unam diem numquam id faciant, nisi habita venia et idoneo substituto relicto: cujusmodi venia si ad tres dies et ultra se extenderit, in scriptis omnino erit obtinenda (3).

(1) Cap. 24 de jure patron.

(2) Conc. Trid. cap. 1 sess. 23 de ref. — cap. 2 sess. 6. — Const. S. Pii V. *Cupientes* 11 Julii 1568.

(3) Bened. XIII in Conc. Rom. tit. 17 cap. 7 — et S. Cong. Conc. 7 Oct. 1604.

506. Hanc porro licentiam ad sex usque dies, dummodo nullus eorum sit festivus, Parochis sui Vicariatus concedent Vicarii Foranei; Istitis vero Regionum Praefecti. At Parochis Urbis, Suburbiorum et Regionum Praefectis, sive ad paucos sive ad plures dies; omnibus vero, quotiescumque ultra sex dies absentia erit protrahenda, Nos ipsi vel Vicarius Noster Generalis tantum concedemus.

507. Volumus autem, ut tam Vicarii Foranei, quam Regionum Praefecti factas in scriptis discedendi facultates Nobis illico significant. Vicissim eosdem docebimus, quotiescumque a Nobis vel a Curia Nostra ejusmodi venia facta fuerit illis, qui eisdem subsunt.

508. Si quem tamen subita necessitas urgeat discedendi a Paraecia, quin facultatem petere possit; discedat quidem, dummodo relinquat idoneum substitutum et statim de rei adjunctis Nos doceat vel Vicarium Foraneum vel Regionis Praefectum, quorum erit id Nobis significare (1).

509. Parochus residebit in aedibus Parochialibus, quibuslibet aliis etiam propriis exclusis; nisi domus Parochialis vel non esset, vel non apta usui. Tunc enim poterit ipse alias conducere, quae sint vel contiguae vel saltem admodum propinquae Ecclesiae, quoties proprias non habeat (2).

510. Parochus tamen non solum debet in Paraecia residere ac plebem sibi commissam pascere Dei verbo et Sacramentis, aliaque praestare, quae dieta in antecessum fuerunt; sed et Sacrificium pro populo offerre: ad quod

(1) Conc. Med. 1 et Synod. Dertb. *Septala*.

(2) S. Cong. Conc. 10 Feb. et 15 Mar. 1618 et 8 Junii 1624.

ex Ecclesiae praecepto tenetur omnibus diebus festis, ut apertius constituit Benedictus XIV. (1).

511. Cum vero Romanae Congregationes tam Concilii, quam Sacrorum Rituum pluries et constanter, etiam postremis annis, declaraverint, per indulta a Romanis Pontificibus nuperis temporibus concessa, quibus festorum numerus imminutus est, ex mente eorundem Summorum Pontificum nihil fuisse immutatum quoad onus Parochorum circa applicationem Missae pro populo; hinc Parochi etiam praefatis diebus, nunc profestis, ad eam applicationem tenentur, nisi accesserit aliquod Indultum Apostolicum, quod flagitabimus (2).

512. Item Sacras functiones in propriis Ecclesiis peragant diebus festis ex more cujusque loci; et sedulo moneant hortenturque fideles, ut hos dies sanctificent, a servilibus operibus abstinentes et quae pietatis sunt exercentes; praesertim vero ad Missam Parochialem aliasque functiones accurrentes. Si qui dies festi infra hebdomadam recurrant, Dominica praecedenti populo nuntient (3).

513. Hoc idem praestent, cum feriae esuriales occurrunt, et fideles excitent, quatenus possunt, ad Ecclesiasticum jejuniorum praeceptum observandum fallacesque excludant excusationes. Id potissimum praestent, adventante solemnibus Quadragesimae jejunio.

514. Coeterum ad expeditiorem Dioecesis administrationem omnibus Parochis facultatem facimus concedendi, ut fideles ex justa causa vacare possint servilibus operibus

(1) Const. *Cum semper* 19 Aug. 1744.

(2) S. Cong. Conc. 14 Junii 1841 ad Ep. Cenoman.

(3) Synod. Derth. *Aresio* et *Septala*.

diebus festis, potissimum cum urgent agrestia opera. Etiam in Quadragesima, et ex rationabili causa ipsi poterunt concedere petentibus usum ovorum ac lacticiniorum.

515. Praeterea Parochi debent inspicere in mores vivendique rationem Sacerdotum, praesertim vero inferiorum Clericorum, qui in eorum Paraecia degunt; et si quid forte in ipsis absonum occurrat, servato Evangelicae correctionis ordine, Nobis significare. In quo, potissimum quoad Clericos inferiores, graviter eorum conscientiam oneramus.

516. Ubi tamen adest Ecclesia Collegiata, tam Canonici, quam alii eidem Ecclesiae adscripti obnoxii erunt censurae, non Parochi, sed ejus, qui in Collegio est primus, si forte non esset etiam Parochus.

517. Insuper Parochi pauperum curam suscipiant, praesertim si valetudine laborent aut ex erubescencia inedia tabescant. Quando ipsi opem ferre nequeunt, divitum charitatem atque misericordiam excitent.

518. Curent quoque pia legata, quae si in propria Ecclesia implenda sint, necessarias inscriptiones hypothecae sumptibus cujusque legati obtineant, ac communicatis consiliis cum Promotore piorum Legatorum, etiam juris remediis haeredes adigant ad eadem implenda, quoties alia ratione id non potuerint obtinere.

519. Quibus datum est auxiliis, scandalis obsistant. Si per se haec evellere nequeunt, confugiant ad publica spiritualia Exercitia. Saltem per ista consistent ac pusillis non nocebunt. Attente prospiciant, quod minus difficile est, ut nascentia scandala compescant.

520. Jura suae Paraeciae tueantur, ea tamen prudentia ac temperantia, ut nullam notam incurrant, qua eorum ministerii fructus periculo exponatur.

521. Archivium Parochiale in loco tuto, nec humido habeant, quod sera et clavi claudatur, quae diligentissime custodiatur.

522. In illud conferantur: 1.^o documenta jurium Paraeciae, Ecclesiae, legatorum piorum et Sodalitatum, quae in Ecclesia Parochiali sunt erectae. 2.^o Authentica documenta Sacrarum Reliquiarum ac Indulgentiarum. 3.^o Libri Parochiales cum eorum documentis. 4.^o Decreta Synodalia ac Visitationum, Encyclicae Episcoporum aliaque hujus generis. 5.^o Locationes vigentes. 6.^o Alia quaecumque, quae in futurum tempus servare expediat (1).

523. Ubi opus sit, in ordinem redigatur. Ejus inventarium per duplex exemplar describatur saltem intra annum, quod Parochus subscribat. Unum ex his Curiae Episcopali tradatur; aliud vero in ipso Archivio Parochiali deponatur (2).

524. Singulis autem annis statum animarum propriae Paraeciae revisant; et immutationes, quae in ea per annum evenerint, juxta normas, quae proponuntur, Curiae per Vicarium Foraneum ante Quadragesimam significant (3).

525. Coeterum nemo ex Parochis renuat interesse Congregationibus moralibus, ad quas tenentur (4). Parochi vero positi extra Urbes vel extra Oppida, quae habent Ecclesiam Collegiatam, Congregationem ejusmodi apud se semel in anno habeant, cum nempe eandem Vicarius Foraneus, vel qui praeest, indixerit. Utriusque rei praeceptum facimus, cujus observantiam omnino urgemus.

(1) Synod. Derth. *Septala* I.

(2) Synod. Derth. *Septala* loco cit.

(3) Synod. Derth. *Septala* dict. loc.

(4) Synod. *Septala* ut sup. et passim.

526. Ut vero Parochis in suis officiis implendis difficultates minuantur, perpetuam iisdem facultatem facimus omnium reservatorum, exceptis quae ponuntur sub numeris 4, 13, 16, et 20; ac concedimus non solum, ut ipsi possint uti facultate Nobis ab Apostolica Sede concessa Pontificiam Benedictionem impertiendi iis, qui sunt in articulo mortis; sed etiam eandem facultatem facimus iis Dioecesis Sacerdotibus, quos Parochi pro re nata rogabunt.

527. Praeter Parochos alii sunt animarum curam gerentes, quibus, etsi Parochiali Beneficio destitutis, demandantur tamen Parochialia munia. Ex his primi veniunt, qui Paraeciae Pastore orbatae praeponuntur, quousque novus Parochus regimen accipiat, Spirituales OEconomus vocati.

528. Hi in Paraecia regenda omnibus Parochorum facultatibus potiuntur et omnia Parochialia munia implere tenentur. Ad honestam autem sustentationem ex beneficii redditibus congrua retributio assignatur. Emolumenta, quae incerta appellantur, exigunt, quorum rationes tradunt novo Parocho.

529. Imo, ubi non viget Apostolico-Regius OEconomus, Spiritualibus OEconomis demandatur etiam cura rerum temporalium Beneficii Parochialis, cujus gestionis rationes novo item Parocho reddunt.

530. Praedictis accedunt, qui Parochiis regendis addiuntur, dum aliquis Parochorum impotens fit ad munia sua implenda; quorum facultates, emolumenta et onera vel literis patentibus vel conventionione definiuntur.

531. Istiti adjiciuntur, qui auxiliares Ecclesias (*Succursali*) regunt, quae in Paraeciarum finibus existunt, quibusque plura Parochialia jura fuerunt tributa, quin plene a Paraeciis fuerint segregatae. Hisce illa jura et munera

competunt, quae peculiaribus decretis vel saltem legitima consuetudine sunt consecuti.

532. Praefati omnes ad Congregatiões Morales accedere tenentur, eamque Párochorum instar semel in anno apud se habere; OEconomii quidem sumptibus vacantis Beneficii, reliqui propriis. Ex Curatis tamen Ecclesiarum Succursalium illi tantum ad hoc postremum adiguntur, qui libros Parochiales, etsi forte non omnes, jus apud se retinendi habent.

533. Demum Parochialia munia sub Párochorum potestate exercent Vice-Curati, quos illi sibi coadjutores assumunt, Praelato approbante, ut Paraeciae necessitatibus fiat satis, sive id requirat minus firma eorumdem valetudo, sive plebs numerosa aut per pagos dispersa.

534. Cui sit necessarius ejuscemodi Cooperator vel forte etiam plures, nisi is sibi sponte quaerat, etiam ex officio ipsi assignabimus.

535. Vice-Párochorum facultates ad annum conceduntur; unde isti ante annum levibus de causis nec dimitti, nec dimittere se debent.

CAPUT XXI.

De Vicariis Foraneis et Praefectis Regionum seu Visitoribus.

536. **E**cclēsiae utilitas postulat, ut Episcopi potestas et cura omni tempore, etiam in locis a Sede remotis, vim suam exerat, ac si praesens Ipse adesset, ne fideles ex caussis minus grayibus Urbem Episcopalem petere cogantur.

537. Hinc salubriter jam ubique obtinet, ut per Dioeceses ponantur Viri, qui Episcopum repraesentent, ejusque loco quaedam minora expediant Episcopo reservata: qui propterea Vicarij Foranei appellantur. Isti vero apud Nos eo magis requiruntur, quo amplior Dioecesis existit (1).

538. Ut autem Vicariorum istiusmodi utilitatem fideles plenius experiantur, et qui coetus Sacerdotales sunt habendi, commodius cogantur, censemus minuendum esse numerum Paraeciarum, quae quibusdam Vicariis nunc subsunt, ut ad summum nullibi sex vel septem excedant.

539. Novam itaque partitionem Vicariatuum instituemus, quam in appendice dabimus. Eos autem ad Vicarii officium assumemus, qui rebus gerendis videantur aptiores, sive Parochi illi sint sive non; sive hujus sive illius Paraeciae (2).

540. Antiquior tamen Parochus cujusque Vicariatus, nisi aliter provideatur, Vicarii absentis, vel absolute impediti ipso jure vices geret, et Pro-Vicarius vocabitur. Coeterum praerogativae, quae quibuscumque Paraeciis inhaerent, intactae manebunt.

541. Jamvero sicuti pro certo habemus Vicarios hosce Nostros aliis omnibus exemplo futuros tam quoad dotes, quae viro Ecclesiastico congruunt, quam quoad Ecclesiasticae disciplinae observantiam; ita nec pariter ambigimus, quin omnes erga proprium Vicarium ea adhibeant obsequii indicia, quae ipsi debentur.

542. Vicarius autem quilibet diligenter inspiciat in Parochos, aliosque animarum Curatores, ut morum honestate

(1) Synodi Derth. passim.

(2) Synod. Derth. *Fossati* l. de Vic. For.

ac disciplinae studio praestent, et sedulo muneribus suis dent operam.

543. Vigilet propterea, ne ipsi desint in praedicatione Verbi Dei, in Cathchesibus, in Sacramentis administrandis, iisque omnibus bene multis, quae Parochis incumbunt (1).

544. Potissimum vero videat, ne residentiam personalem intermittant. Iis quidem concedere poterit ex rationabilibus causis abeundi veniam usque ad dies sex; numquam tamen id faciat, nisi servatis iis cautelis, quae superius sunt dictae.

545. Videat insuper in mores disciplinaeque observantiam reliquorum Sacerdotum ac Clericorum totius Vicariatus, ut nihil in ipsis a norma discedat, suaque etiam impleant specialia officia, si habeant.

546. In his omnibus primum delinquentes vel negligentes leniter moneat rogetque, ut rebus suis melius consulant. At vero post alteram aut ad summum post tertiam monitionem omnino rem, sin Nobis, saltem Regionis Praefecto significet: de quo ejus conscientiam oneramus.

547. Rursus, ubi opus et opportunum videat, scandalis compescendis, quae forte in Vicariatus Paraeciis prodeant, manum admoveat.

548. Dissidia quoque componat tam inter Ecclesiasticos, quam inter laicos; imo lites dirimat in iis, quae sunt Ecclesiastici fori, exceptis causis Matrimonialibus. Judicium ferre poterit (absque tamen fori strepitu) usque ad libellas quinquaginta: in criminalibus vero facultatem habebit testes examinandi.

549. Praeterea Vicarius Congregationes morales indicet

(1) Synodi Decret. passim.

pro qualibet Paraecia, postquam tamen ipse prius (si Parochus sit) in propria Paraecia habuerit. Indictas autem Nobis significet, si forte aut Nos ipsi aut per Delegatum interesse velimus (1).

550. Hisce caetibus Vicarius praeerit, omniaque, quae praescribuntur pro habendis Congregationibus, servari jubebit. Summatim etiam visitabit hac occasione Sanctissimum Sacramentum, Altaria, vasa Sacra, omnemque suppellectilem, quae est in usu quotidiano; et ubi aliquid invenerit, quod a Nobis sit corrigendum, significabit.

551. Olea Sacra pro Vicariatu mature petat juxta statutam formam vel a Cathedrali vel a Praefecto Regionis, ut statim Parochis aliisque, si qui sunt, distribuat; rationesque factae distributionis intra mensem ad Nos transmittat.

552. Ipsius erit testimoniales concedere Parochis sui Vicariatus ad concursum venientibus de morum honestate, de dotibus ad Paraeciam regendam, de disciplinae zelo, de servitio praestito; Sacerdotibus autem, qui facultatem Confessiones excipiendi sibi fieri aut confirmari petant, testimoniales de eorum interventu coetibus moralibus; laicis demum, ubi quaerant, testimoniales ad statum liberum obtinendum.

553. Ipsius etiam erit, urgente necessitate et instantibus, quorum interest, facultatem facere exhumandi defunctorum cadavera e loco Sacro.

554. Cum aliquis Parochus graviter aegrotat, eidem Sacramenta ministret, si alius non adsit. Et si forte decedat, jus funera peragendi eidem adjudicamus, ita tamen ut cerei omnes Ecclesiae cedant, gestatoria excepta.

(1) Synod. Dert. Cava de Vic. For.

555. Ipso non interveniente, hoc jure potietur Pro-Vicarius, et successive antiquior Parochus Vicariatus. Si autem Parochus defunctus sit adscriptus alicui Ecclesiae Collegiatae, funus ad Capitulum spectabit; cereis pariter Ecclesiae tributis.

556. Paraeciae vacanti, ne servitio careat, interim provideat; Archivii integritati ac custodiam accurate prospiciat; Parochi obitum statim Nobis significet, ut OEconomum spirituales cito citius praeponamus.

557. In iis Paraeciis, quae Apostolico-Regio OEconomatum subsunt, ejus Officialibus libera relinquant, sub debitis cautelis, quae in Archivio temporalia jura Paraeciae respiciunt; non reliqua. In aliis vero Paraeciis illico procedat ad testimoniales status, provideatque, ubi opus, indemnitati beneficii: re ad Curiam delata, si difficultates patiat.

558. Vicario jus etiam sit jubendi, ut collecta aliqua in Missa addatur in publicis necessitatibus, nisi a Superioribus sit provisum; benedicendi item omnem Sacram suppellectilem, et si quid aliud est, quod sit benedicendum, dummodo nulla sit adhibenda Sacra Unctio vel non agatur de benedictione aut reconciliatione Ecclesiae vel Coemeterii; idque ex Apostolica facultate Nobis tributa.

559. Habeat insuper facultatem absolvendi ab omnibus Casibus reservatis, etiam ab iis, qui Nobis reservantur a Jure; nec non facultatem restituendi in *ius petendi*, qui illud amiserit: rursus ex facultate Apostolica.

560. Hujus articuli facultates nec non articuli 553 alii etiam Sacerdotibus communicamus, quibus Vicarius in proprio Vicariatu concedendas censuerit, sed tantum pro re nata et pro qualibet vice.

561. Ad haec Vicarius concedet facultatem sub debitis conditionibus extrahendi eos, qui confugerint ad Ecclesiam; et ipse adsistet, si praesens sit, hujusmodi educationi.

562. Demum illa omnia servabit ac peraget quaecumque ex statutis Synodalibus Vicario sunt demandata, et singulis annis juxta normas in appendice proponendas statum sui Vicariatus ante Quadragesimam ad Nos transmittet.

563. At vero cum ex Canonum praescripto singulis saltem bienniis universam Dioecesim invisere teneamur vel per Nos Ipsos, vel, si legitime prohibeamur, per assumptos Visitatores; Antecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, ipsam Dioecesim non solum in plures Vicariatus, sed in aliquot insuper ampliores Regiones partiemur, quibus singulis Viros praeficiemus doctrina ac pietate conspicuos ad Visitationem nomine Nostro perendam, quatenus Nos Ipsi praestare nequiverimus. Hos Antecessores Nostri, S. Carolum secuti, Regionum Praefectos seu Visitatores jam vocarunt (1).

564. Regiones ejusmodi octo olim numerabantur. Sed cum superioribus temporibus immutationes non parvi momenti evenerint quoad fines Dioecesis, qui amplificati fuerunt, nunc duodecim erunt; quarum unaquaeque plures Vicariatus complectetur.

565. Praefectos autem seu Visitatores ad biennium constituemus, hoc ipso quia iisdem potissimum demandabimus Visitationem propriae Regionis, quam biennio volumus absolvi; ut ita sacris Canonibus plene obsequamur (2).

(1) Decret. *Fossati* Ep. Dertb. in Cong. Gen. Cler. 19 Aprilis 1646.
— Synod. Dertb. *Resto* toto tit. de Visit. Reg. et passim.

(2) Conc. Trid. sess. 24 cap. 3 de ref.

566. Id tamen non prohibebit, siquidem in Domino expedire crediderimus, ne postea per aliud biennium et sic deinceps eosdem confirmemus. Quando vero Praefectus deesset; visitatione excepta, reliqua, ad quae Praefecti delegantur, ipso jure praestabit in unaquaque Regione Vicarius Foraneus, qui in munere Vicariatus sit antiquior.

567. Praefectus itaque Regionis erit ejusdem Visitor nomine Nostro. Perlustrationem autem instituet juxta normas, quas in Appendice trademus. Ex hac vero Visitationis facultate eidem delegata jus et onus habet inspiciendi in omnem Regionem, cui praest, an Divinae Leges, Sacri Canones ipsaque Synodalia Decreta ab omnibus retineantur ac serventur.

568. Ubi vero vel omnes vel aliquas Paraecias suae Regionis Nos Ipsi visitare voluerimus (quod Deo dante praestare non negligemus), ipse quidem a Visitatione abstinebit; erit tamen Nobis Convisitor.

569. Praeter Visitationem Praefectus Regionarius illa omnia erga Vicarios Foraneos suae Regionis praestabit, quae ipsi erga Parochos suffraganeos; ut nempe inspiciat, qua laude quae sunt muneris sui perficiant; consilii adjuvet, ubi opus: Olea Sacra, si a Cathedrali pro Vicariis accipit, cito distribuat: quorum omnium Nobis rationem reddet.

570. Coeterum, quae Vicarius in funere Parochorum agit, non item a Praefectis peragentur in Vicariorum funeribus. Haec autem ad antiquiorem Vicariatus Parochum spectabunt, quia sollicitam requirunt operam, ad quam forte Praefectus magis dissitus opportunus non esset.

CAPUT XXII.

De Regularibus ac Monialibus.

571. **E**vangelica Consilia nedum servare, sed decernere se velle et quidem perpetuo servare, et ad istud se insuper voto obstringere, illud demum est, quod Religiosum statum constituit. Id vero quanta sit commendatione dignum et pietate plenum, is unus dubitaverit, qui Religionem Christianam minime agnoscat (1).

572. Cum vero insuper omnia ferme Religiosa Instituta propositam habeant aliquam operam seu Charitatis seu Religionis ad proximorum utilitatem; nihil religiosis Ordinibus Ecclesiae Dei utilius (2). Gratulandum proinde est Dioecesi Nostrae, quae sin plures, aliquot saltem recuperavit ex iis coenobiis Religiosorum, quibus antea florebat.

573. At quia Tridentini Patres testati sunt (3), utilitatem, quam Religiosae Domus Fidelibus afferunt, inde potissimum pendere, si pie instituantur atque administrentur; non dubitamus, quin Superiores cujusque Domus Religiosae omni studio curent, ut solerter ac religiose proprii Instituti Regulae atque Constitutiones custodiantur (4).

574. Multo vero magis satagendum est ipsis, ne Religiosi extra sacras eorum domos ullo modo Fidelibus vel

(1) Matt. 19 v. 21. — 2, 1 ad Corint. 7.

(2) Conc. Trid. sess. 25 cap. 1 de Reg.

(3) Loc. cit.

(4) Clementina l. de verb. sign.

admirationi vel offendiculo sint; qui non nisi ad populi aedificationem prodire debent (1).

575. Quamquam vero sancte sit constitutum, ut Regulares eorumque claustra ab Ordinarii jurisdictione sint immunes; neminem tamen latet, suas esse huic privilegio exceptiones, quas recolendas iisdem proponere satis superfluum est, cum jam Ipsi recolant (2).

576. Hinc non solum Sacros Ordines (3) a Nobis quaerunt, et facultates excipiendi confessiones Saecularium (4); sed et ad Sacras Conciones extra proprias Ecclesias, ut approbentur, postulant (5). Imo vel in propria Ecclesia sine petitione benedictionis Nostrae non praedicant: in hisce enim Nobis subjiuntur.

577. Quousque etiam circa celebrationem Sacrorum Mysteriorum, publicam Sacrae Eucharistiae expositionem, aliorum Sacramentorum administrationem Templorumque cultum Nostrae Auctoritati subsint, satis noverunt (6). Et haec quidem suis quibusque locis Nos quoque attingimus, ad quae eosdem remittimus.

578. Alia non addimus; quia si quae alia sunt, in quibus Regulares Nobis subjiuntur, numquam futurum confidimus, ut Apostolicis facultatibus in hac re sit Nobis utendum (7).

(1) Syricius cap. 13 ad Himer. Tarrac.

(2) Conc. Trid. sess. 25 cap. 11 de Reg.

(3) Conc. Trid. sess. 23 cap. 8 de ref.

(4) Conc. Trid. dicto loco cap. 15.

(5) Conc. Trid. sess. 5 cap. 2 de ref.

(6) Conc. Trid. sess. 22 de serv. et vit. in celeb. Missae.

(7) Conc. Trid. sess. 6 cap. 3 de ref. — Decr. Innoc. X. *Ut in parvis* 10. Februarii 1654 — Declarat. S. Cong. Conc. super statu Reg. approb. ab Alex. Papa VII. die 17 Julii 1655.

579. Sacrae autem Virgines, quae in Coenobiis perpetuum habent incolatum, illustrior profecto portio gregis Christi, studeant in omnibus Christo Jesu earum Sponso placere, nec aliud praeter Ipsum quaerant. Tunc enim claustrum fiet ipsis vere terrestris Paradisus.

580. Disciplinae religiosae servandae omnes intendant; praesertim vero a collocutoriis, quantum fieri potest, sint alienae; nec ad ipsa accedant nisi sub cautelis, quae a Regulis et a Pontificiis Constitutionibus praescribuntur (1).

581. Meminerint Regulares ad haec collocutoria sine licentia Nostra vel Vicarii Nostri Monialis, quae scripto dabitur, accedere non posse ex praedictis Pontificiis Constitutionibus (2).

582. Idipsum Nos vetamus Sacerdotibus Saecularibus, nisi praedicta venia accesserit. Eos ex his excipimus, qui primo vel primo-secundo Consanguinitatis gradu Moniali junguntur.

583. Rursus nemo ex Sacerdotibus Saecularibus, iis exceptis, qui ratione muneris seu Cappellaniae adstringuntur, in Monialium Ecclesia celebret absque praememorata licentia (3).

584. Moniales omnes ipsaeque puellae educandae extraordinario Confessario a Nobis dando ex Sacris Canonibus omnino se sistant (4).

(1) Synod. Derth. *Fossati* l. et *Resta*.

(2) S. Cong. Conc. sub Urbano VIII. 15 Decem. 1623, et sub Clem. IX. 12 Maii 1669.

(3) Synod. Derth. *Ceva* l. hoc tit.

(4) Conc. Trid. sess. 25 cap. 10 de Reg.

585. Demum, qui Monasterii bona administrant, singulis annis rationem reddant, ut est praescriptum (1).

CAPUT XXIII.

De Confraternitatibus et Sodalitiis, Hospitalibus, Montibus Pietatis aliisque piis Operibus.

586. **N**ihil laudabilius, quam quod sibi Christiana Sodalitia proponunt. Cum enim Divino cultui amplificando intendant, fovendaeque mutuae charitati; mirifice inserviunt Fidelibus alliciendis ad ea quae sunt aliquatenus Christianae perfectionis.

587. Illud superest, ne quod est in se bonum ac Religione plenum, minus ex ordine et ex vero Religionis sensu fiat; ab iis scilicet Christianis, qui parum recolunt, quae sincera pietas postulat.

588. Ne id contingat, quae sequuntur a Laicorum sodalitiis accurate servantur; ita enim fiet, ut nullus amplius locus reperiatur quibusdam aemulationibus, quae homini Christiano non congruunt.

589. Initio itaque nullum Sodalitium erigatur absque Nostra licentia, quam tunc dabimus, quum regulae, quas illud sibi proponit, Nobis subjicientur (2).

(1) Conc. Trid. loco citat. cap. 9.

(2) Clem. VIII. in Const. *Quicumque* et Synod. Dertb. *Fossati* l. de Confrat.

590. Cum Sodalitium est erectum in aliqua Ecclesia Parochiali, meminerint Confratres, se quoad functiones et alia, juxta leges Ecclesiasticas, Parocho esse obnoxios (1).

591. Cum vero Confratres proprium habent Oratorium, limites, quas praedictae leges posuerunt quoad functiones peragendas, ne transgrediantur.

592. Quin etiam, si pactiones, decreta aut judicia interfuerint, quibus Confratres arctius Parocho subjiciantur, quam ferat lex generalis, omnino serventur. Idipsum fiat, quoties ex legitima consuetudine alicubi idem obtinet; nec immutentur probati mores locorum.

593. Itaque absque Apostolico Indulto in Sodalitiorum Oratoriis Sanctissimum Sacramentum assidue non retineatur; neque audeant eorundem Capellani absque Apostolico Indulto celebrare feria quinta in Coena Domini et Augustissimum Sacramentum in sepulcro condere (2).

594. Imo Sanctissima Eucharistia ne ad unum quidem diem in dictis Oratoriis absque Episcopi venia asservetur, multoque minus exponatur, ut cum ea benedicantur Fideles.

595. Non prohibemus quidem, ne in eorum Ecclesiis Missa sollemnis decantetur in festo Titularis seu Patroni; pro aliis tamen diebus hujus rei a Nobis venia erit impetranda (3).

596. Solemnia etiam suffragia erga defunctos Confratres prohibentur; nec non quodcumque Officium *de Requiem* pro iis, qui ante obitum Sodalitati non erant adscripti (4).

(1) S. Cong. Rit. in Decret. Urbis et Orbis 10 Decemb. 1703.

(2) Decret. citato. — S. R. C. 14 Junii 1659.

(3) Cit. Decret.

(4) Dicta Synod. *Fossati* dict. tit.

597. Nulla item Missa privata celebrari poterit in eorum Oratoriis tempore Missae Parochialis illius Paraeciae, in cujus territorio Oratorium reperitur (1). Ipsa Confratrum Psalmodia haberi non poterit tempore Functionum Parochialium et Doctrinae Christianae.

598. Volumus autem, ut nullus Sacerdos munus Capellani in Oratoriis Confratrum assumat, quin a Nobis fuerit ad id scripto approbatus: quae approbatio singulis annis mense Januarii, quemadmodum facultates pro Confessionibus audiendis, erit a Nobis confirmanda.

599. Confratribus quidem licebit inter se et in propriis Oratoriis eleemosynas oblationesque colligere pro iis expensis, quae cultum respiciunt; at ipsis non licebit absque licentia Nostra easdem quaerere publice et ab iis, qui nomen Sodalitati non dederunt (2).

600. Coeterum summopere optamus atque hortamur, ut Confratres Religionis studium potissimum ostendant accurrentes ad Psalmodiam diebus festis eamque devote absolventes.

601. Optamus et rogamus etiam atque etiam, ut quae sunt proprii instituti, tam quoad Religionem, quam quoad Charitatem diligenter ac ferventer impleant.

602. Quia vero statis diebus olim Confratres ad Sacramenta accedebant; impense hortamur, ut hic pius mos ubique instauretur.

603. Rursus proprias regulas retineant circa Officialium deputationem. Ad haec enim officia assumendi, qui probi sunt et de Religione bene audiunt. Administratio vero red-

(1) S. R. C. 28 Jan. 1640. — Bened. XIV. Inst. 44 — et dict. Syn.

(2) Synod. Dertl. *Fossati* I. tit. de quaest.

dituum cujusque Sodalitatis non tradenda illi, qui erga Sodalitatem debitis adstringatur (1).

604. In iis locis, in quibus non adest Vicarius Noster Foraneus, delegamus Parochum, in cujus territorio est Confratrum Oratorium, ut tum eorum Comitii nomine Nostro intersit, quoties sunt eligendi Officiales; tum ut singulis annis ante exitum mensis Martii rationes accipiat administrationis anni praecedentis. Ubi autem aderit Vicarius, eadem praestabit quoad omnes Sodalitates loci (2).

605. Quoad coetera Opera Pia, cum juxta vigentes leges facultates a Sacro Concilio Tridentino (3) et Instructione Benedicti XIV. (4) Nobis collatae subsistant; volumus, ut Praefecti Regionum, tamquam visitatores a Nobis designati, singulis annis vel saltem intra biennium visitationis invisant Montes pietatis, Hospitalia aliaque loca pia Nobis subjecta, quae in eorum Regione existunt, et rationes administrationis repetant.

CAPUT XXIV.

De Foro Judiciali.

606. **E**x Nostris curis illa non est minima, qua satagimus, ut in foro Nostro, procul amandata Personarum acceptione, Causae celerrime expediantur, remotis cavilla-

(1) Synod. *Fossati* l. dicto tit.

(2) Dicta Synod. dict. loc.

(3) Sess. 22 cap. 8.

(4) 6 Jan. 1742.

tionibus et tergiversationibus. Confidimus, votis Nostris opera responsuros Curiae Officiales et Causarum Patrocinatores.

607. Prostat in Curia Nostra Tabella Patrocinantium pro foro Nostro approbatorum. Absint a loco audientiae, aut in actis scripto traditis contumeliae aut injuriae. Qui deliquerit, ab aditu Fori Ecclesiastici prohibebitur. Mandamus imo Cancellario Nostro, ne nisi Vicario Nostro audito recipiat actus, qui aliquid habeant, quod minus deceat honestum virum.

608. Officiales Curiae Nostrae adamussim servent taxam superiore mitiorem, quae pro omnibus actibus voluntariae et contentiosae jurisdictionis approbata fuit, Nobis petentibus, a Sacra Congregatione Concilii sub die 16 Septembris 1840.

609. Seclusis festis diebus de praecepto, in foro Ecclesiastico jus semper dicitur singulis feriis secunda, tertia, et sexta, excepta integra hebdomada majore et Vigilia Nativitatis Domini.

CAPUT XXV.

De Usuris atque usurariis Contractibus.

610. **D**etestabilis lucrandi cupiditas adeo pervadit hominum mentes, ut se in varios contractus usurarios conjiciant, quorum iniquitatem detegere et ostendere curent Confessarii et animarum Curatores.

611. Ab usurae labe nequeunt absolvi contractus Societatum seu vulgo *Socidarum*, quibus ea lex dicitur, ut sors semper integra maneat, et periculum omne ille sustineat, qui sortem recipit (1); venditiones quaedam iniquis omnino conditionibus factae, aliique contractus, in quibus aequalitas admodum violatur.

612. Potissimum vero a Sacris Scripturis, Patribus, Conciliis et Theologis omnibus reprobatur contractus mutui, vi cujus aliquid ultra sortem accipitur, nisi lucrum cessans, damnum emergens vel alius titulus mutuo extrinsecus interveniat (2).

613. Utrum autem auctarium, quod a Lege Principis agnoscitur, inter hos titulos recenseri queat, acriter disputatum fuit inter Theologos; quin hucusque ab Ecclesia lis fuerit dirempta.

614. Confessariis tamen nulla in praxi fit inde difficultas, quum ex variis responsionibus Sacrae Poenitentiariae, imo ex Decretis et Resolutionibus Congregationis Sancti Officii (3), quas insuper Resolutiones Sanctissimus Dominus Noster GREGORIUS XVI. in Audientia Assessori ejusdem Sancti Officii impertita approbavit, liquido constet, non esse inquietandos, qui illud auctarium accipiunt, dummodo sint parati stare mandatis Sedis Apostolicae.

(1) Conc. Med. 1 tit. de usuris.

(2) Const. Bened. XIV. *Vix pervenit* 1 Novem. 1745.

(3) 3 Julii 1822 — 9 Septemb. 1837 — 17 Januar. 1838; Sacr. Poenit. 16 Septemb. 1830.

CAPUT XXVI.

De Synodali Constitutionum observantia.

615. **H**ae sunt Constitutiones, quas, Deo adjuvante, ad majorem Ejusdem gloriam, Ecclesiastici Ordinis decorem rectumque Dioecesis regimen Vobis exhibere duximus.

616. Quotquot in partem sollicitudinis Nostrae vocantur ac vocabuntur, seu Parochi, seu Vicarii Foranei, seu qui Collegiis Canonorum praesunt, seu demum Regionum Praefecti vel Visitatores vigilant ac curent, ut eaedem observentur.

617. Transgressores vero, qui contumaces se praebent, omnino Nobis significant, quos pro errati ratione sine poena non relinquemus.

618. Cum statuta Synodorum praecedentium (quatenus temporibus Nostris censuimus congruere) hisce Constitutionibus inseruerimus; hinc, anterioribus abrogatis, Dioecesana disciplina praesentibus definitur.

619. Consultum propterea, ut Sacerdotes omnes, multo magis si peculiari aliquo munere donentur, imo et Clerici in Sacris constituti hasce Constitutiones sibi comparent. Volumus enim, ut transacto bimestri, postquam typis impressae prodierint, eam vim habeant ac si fuissent singulis indictae.

620. Coeterum cuncta, quae in hac Dioecesana Synodo continentur, humili cordis affectu Sanctae Sedis Judicio subijcimus, ejusdem oraculo alacriter obtemperaturi.

CAPUT XXVII.

De Cathedratico.

621. Inter jura Sedis Episcopalis Sacri Canones recensent Cathedraticum, quod quidem solvi debet ab omnibus Ecclesiis Saecularibus, Parochis et Beneficiatis, nec non a Laicorum Confraternitatibus propriam Ecclesiam habentibus (1).

622. Praedicti omnes ad illud ita tenentur, ut nullo, ne immemorabilis quidem consuetudinis titulo, se eximere possint (2).

623. Nos tamen noscentes angustias omnium fere Ecclesiarum; et earum Rectoribus coeterisque, a quibus esset praestandum, gratificari leviter volentes, illud remittimus.

624. Declaramus tamen, nihil inde juri Nostro Successorumque Nostrorum detractum, et neminem ex iis, qui ad illud tenentur, liberum futurum ab hoc onere per hanc spontaneam condonationem.

(1) Bened. XIV. de Synod. lib. 5 cap. 6 n. 2.

(2) Cap. 16 de praescrip. — Decret. 5. Cong. Conc. 19 Nov. 1731.

MINISTRI SYNODALES
IN CONGREGATIONE PRÆPARATORIA

die 4 Septembris

ELECTI ET DESIGNATI.

PROMOTOR SYNODI

Butteri D. Benedictus S. T. D. et Regius Professor, vacantium Beneficiorum Suboeconomus Regius Apostolicus et Primicerius Ecclesiae Cathedralis.

SECRETARIUS

Mirani D. Carolus Joseph a Secretis Excell.^{mi} et Rev.^{mi}
D. D. Episcopi et Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

PRO-SECRETARIUS

Valenti D. Antonius Secretarius Curiae Episcopalis.

JUDICES QUERELARUM ET EXCUSATIONUM

Remotti D. D. Antonius Maria J. U. D. Archipresbyter
Ecclesiae Cathedralis et Vicarius Generalis.

Cantù D. Joannes Amedeus S. T. D. Ecclesiae Cathedralis
Archidiaconus et Rector Seminarii.

Butteri D. nus Primicerius praedictus.

André D. Claudius Antonius S. T. D. Ecclesiae Cathedralis
Canonicus Theologus.

**Brenasi D. Carolus Joannes J. U. D. Curiae Episcopalis
Advocatus Fiscalis et Matrimoniorum Defensor ac Canonicus
Ecclesiae Cathedralis.**

PRAEFECTI DISCIPLINAE SYNODALIS

Cantù D.nus Archidiaconus praedictus.

**Meyninger D. Antonius Clericorum Seminarii in Spiritualibus
Rector et Canonicus Ecclesiae Cathedralis.**

**Persi D. Dominicus Seminarii Pro-Rector et Philosophiae
Professor ac Canonicus Ecclesiae Cathedralis.**

**Moschini D. Benedictus Maria S. T. D. Insignis Collegiatae
Ecclesiae Civitatis Viqueriae Archipresbyter ac Vicarius
Foraneus.**

**Pavese D. Matthaeus S. T. D. Insignis Collegiatae Ecclesiae
Civitatis Novarum Archipresbyter ac Vicarius Foraneus.**

PRAEFECTI HOSPITIUM

**Grassi D. Dominicus Mensae Episcopalis Oeconomus et
Canonicus Coadjutor Ecclesiae Cathedralis.**

Persi D.nus Canonicus praedictus.

COADJUTORES

Bava D. Paulus Vice-Curatus Paraeciae S. Jacobi Majoris.

Rocca D. Alexander Oeconomus Seminarii Episcopalis.

CONFESSARII CLERI

**Scaglia D. Petrus Jacobus S. T. D. et Cathedralis Ecclesiae
Canonicus Poenitentiarius Major.**

**Pedevilla D. Antonius S. T. D. et Professor in Seminario,
Canonicus Ecclesiae Cathedralis et Regii Collegii Rector
in Spiritualibus.**

Ferrari D. Joannes Baptista S. T. D. Archipresbyter et
Vicarius Foraneus Clastidii.

Ferlosio D. Joseph Archipresbyter et Vicarius Foraneus
Serravallis.

Pater Aloysius a Serravalle S. T. Lector Emeritus, Ex-
Provincialis Ordinis Cappucinatorum.

Pater Pius a Castellatio S. T. Lector, ejusdem Ordinis Cap-
pucinatorum Ex-Provincialis et Poenitentiarius Minor Ec-
clesiae Cathedralis.

PROCURATORES CLERI

Ravelli D. Carolus Franciscus	} Canonici Ecclesiae	} Urbani
Remotti D. Joseph Antonius		
Canefri D. Julius Innocentius J. U. D. Praepositus Coadjutor Insignis Collegiatae Ecclesiae Civitatis Novarum	} Foranei	}
Pezzani D. Angelus Insignis Collegiatae Ecclesiae Civitatis Viqueriae Canonicus		

COEREMONIARUM MAGISTRI

Brenasi D. Ambrosius Coeremoniarius Excell.^{mi} ac Rev.^{mi}
D. D. Episcopi.

Bina D. Petrus Curatus et Sacrista Cathedralis ac Coere-
moniarius Rev.^{mi} Capituli Cathedralis.

Mongini D. Joseph J. U. D.

Turba D. Aloysius Rethoricae Professor in Seminario Epi-
scopali.

OECONOMUS PRO EXIGENDO CATHEDRATICO

Grassi D. nus Canonicus Coadjutor praedictus.

LECTORES DECRETORUM

Cavanna D. Angelus Regens Paraeciam Montisaldei.
 De-Angelis D. Cajetanus OEconomus Parochialis Ruptae
 de Tortis.
 Montemanni D. Natalis OEconomus Parochialis S. Julithae.
 Guerra D. Antonius Capellanus Viguzzolii.
 Brenasi Clericus Felix Beneficiatus Cathedralis.

OSTIARI SYNODI

Ghisolfi Vincentius	}	Clerici Derthonenses.
Buchenau Alexander		
Brenasi Innocentius		
Ratti Dominicus		

NOTARIUS SYNODI

Cantù D. Joseph Maria Canonicus Ecclesiae Cathedralis,
 Curiae Episcopalis Cancellarius et Notarius Apostolicus.

COADJUTOR

Albino D. Jacobus Antonius Caudatarius Excell.^{mi} et Rev.^{mi}
 D. D. Episcopi, Curiae ejusdem Pro-Cancellarius et
 Notarius Apostolicus.

ORATORES SYNODI

Butteri D.nus Primicerius Professor	}	praedicti.
Pedevilla D.nus Canonicus Professor		



MINISTRI
IN SYNODO ELECTI ET NOMINATI
PRO BONO DIOECESIS REGIMINE.

JUDICES SYNODALES

- Remotti D. D. Antonius Maria J. U. D. Archipresbyter
 Ecclesiae Cathedralis et Vicarius Generalis.
- Cantù D. Joannes Amedeus S. T. D. Archidiaconus Eccle-
 siae Cathedralis et Rector Seminarii.
- Butteri D. Benedictus S. T. D. et Regius Professor, va-
 cantium Beneficiorum Suboconomus Apostolico - Regius
 et Primicerius Ecclesiae Cathedralis.
- Andrè D. Claudius Antonius S. T. D. Canonicus Theolo-
 gus Ecclesiae Cathedralis.
- Scaglia D. Petrus Jacobus S. T. D. Canonicus Poenitentiarius
 Major Ecclesiae Cathedralis.
- Brenasi D. Carolus Joannes J. U. D. Canonicus Ecclesiae
 Cathedralis, Curiaeque Episcopalis Advocatus Fiscalis ac
 Matrimoniorum Defensor.
- Pedevilla D. Antonius S. T. D. et Professor in Seminario,
 Canonicus Cathedralis Ecclesiae, et Regii Collegii in
 Spiritualibus Rector.

EXAMINATORES SYNODALES

- Remotti D. D. Vicarius Generalis Archipresbyter praedictus.
- Cantù D. nus Archidiaconus praedictus.
- Butteri D. nus Primicerius praedictus.

- Andrè D.nus Canonicus Theologus praedictus.
- Scaglia D.nus Canonicus Poenitentarius Major praedictus.
- Pedevilla D.nus Canonicus praedictus.
- Pernigotti D. Benedictus Canonicus Ecclesiae Cathedralis et Regiarum Scholarum in Spiritualibus Rector.
- Meyninger D. Antonius Canonicus Ecclesiae Cathedralis et Clericorum Seminarii in Spiritualibus Rector.
- Persi D. Dominicus Canonicus Ecclesiae Cathedralis, Seminarii Pro-Rector et Philosophiae Professor.
- Bertetti D. Petrus Aloysius S. T. D. Praepositus S. Mariae Canalium.
- Azzaretti D. Joseph Praepositus S. Michaelis.
- Moschini D. Benedictus S. T. D. Archipresbyter Vicarius Foraneus Viqueriae.
- Pavese D. Matthaeus S. T. D. Archipresbyter Insignis Collegiatae Ecclesiae Civitatis Novarum ac Vicarius Foraneus.
- Canefri D. Julius Innocentius J. U. D. Praepositus Coadjutor Collegiatae praedictae Novarum.
- Ferrari D. Joseph S. T. D. Canonicus Theologus Insignis Collegiatae Viqueriae, ibique vacantium Beneficiorum Apostolico-Regius Suboconomus.
- Bianchi D. Hieronymus S. T. D. Canonicus Theologus Insignis Collegiatae Novarum.
- Manfredi D. Joseph Canonicus praedictae Collegiatae Viqueriae.
- Tasso D. Antonius Archipresbyter Collegiatae Bronarum et Vicarius Foraneus.
- Ferlosio D. Joseph Archipresbyter Collegiatae Serravallis et Vicarius Foraneus.

Pernigotti D. Aloysius J. U. D. SS.^{mi} Domini Nostri Papae Cubicularius honorarius et Canonicus praefatae Collegiatae Serravallis.

Ferrari D. Joannes Baptista S. T. D. Archipresbyter Vicarius Foraneus et Apostolico-Regius Suboeconomus Clastidii.

Cantù D. Rochus Joannes Archipresbyter S. Joannis Salarum, ibique Vicarii Foranei vices gerens hoc anno.

Piatti D. Joseph Archipresbyter SS. Mariae et Syri Salarum.

Malacalza D. Jacobus Albertus Archipresbyter Vicarius Foraneus et Apostolico-Regius Suboeconomus Sancti Sebastiani.

Raffaghelli D. Dominicus J. U. D. Archipresbyter Vicarius Foraneus Stratellae.

Castagna D. Seraphinus Archipresbyter Vicarius Foraneus Turriliae.

Lovotti D. Ferdinandus Praepositus Vicarius Foraneus beriae.

Venco D. Gaspar S. T. D. Archipresbyter Vicarius Foraneus Silvani Adurni.

Zelaschi D. Carolus S. T. D. Archipresbyter Sancti Pontii.

Galanti D. Joseph Praepositus Cellae.

EX REGULARIBUS

Pater Aloysius a Serravalle Lector Emeritus S. T. et Ex-Provincialis Ordinis Cappucinatorum.

Pater Pius a Castellatio Lector S. T., Ex-Provincialis Cappucinatorum et Poenitentiarius Minor Ecclesiae Cathedralis.

TESTES SYNODALES

Ipsorum nomina justis de causis publicata non fuere.

PUNCTATORES
IN CATHEDRALI

André D.nus Canonicus Theologus praedictus.

COADJUTOR

**Mirani D. Joseph Canonjcus Ecclesiae Cathedralis, Excell.^{mi}
ac Rev.^{mi} D. D. Episcopi a Secretis.**

IN ECCLESIA COLLEGIATA
CIVITATIS VIQUERIAE

Abbiati D. Petrus Canonicus.

IN ECCLESIA COLLEGIATA
CIVITATIS NOVARUM

Bianchi D.nus Canonicus Theologus praedictus.

IN ECCLESIA COLLEGIATA
OPPIDI CASTRINOVI AD SCRIPIAM

Aschieri D. Joseph Canonicus.

IN ECCLESIA COLLEGIATA
OPPIDI VIGUZZOLII

Bianchi D. Nicolaus Canonicus.

IN ECCLESIA COLLEGIATA
OPPIDI BRONARUM

Bardotti D. Angelus Canonicus.

IN ECCLESIA COLLEGIATA
OPPIDI PONTISCURONI

Grossi D. Candidus Canonicus.

IN ECCLESIA COLLEGIATA
OPPIDI SERRAVALLIS

Galliani D. Joseph Canonicus.

IN ECCLESIA COLLEGIATA
OPPIDI CASELLARUM

Bono D. Aloysius Canonicus.

DEPUTATI CONGREGATIONIS SEMINARI

Bianchi D. Joannes Baptista Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

Scaglia D. nus Canonicus Poenitentiarius Major praedictus.

Remotti D. Joseph Antonius Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

Calcaprina D. Joseph hujus Xenodochii Infirmorum in Spiritualibus Rector.

RECOGNITORES INDULGENTIARUM

Ravelli D. Carolus Franciscus Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

Pedemonti D. Antonius Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

REVISORES LIBRORUM

Cantù D. nus Archidiaconus praedictus, pro Civitate Derthonae.

**Pavese D.nus Archipresbyter praedictus, pro Civitate No-
varum.**

**Ferrari D.nus Canonicus Theologus praedictus, pro Civi-
tate Viqueriae.**

PROMOTORES LEGATORUM PIORUM

Brenasi D.nus Canonicus J. U. D. praedictus.

Mongini D. Joseph J. U. D.



SYNODALIUM ACTIONUM ROGITUS.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, Indictione Romana Prima, Pontificatus autem SS.^{mi} in Christi Patris et Domini Nostri GREGORII Divina Providentia Papae XVI. anno decimo tertio, die octava mensis Septembris.

Omnibus notum sit, quod Excellentissimus et Reverendissimus D. D. JOANNES NEGRI hujus Sanctae Derthonensis Ecclesiae Episcopus ac Princeps Campi Beati, SS.^{mi} D.ⁿⁱ N.^{tri} Papae Praelatus Domesticus, Pontificio Solio Assistens, et Eques Commendatarius Ordinis SS. Mauritii et Lazari; quum ex Edicto diei 13.^{ae} Mensis Junii nuper elapsi Synodum Dioecesanam indixisset habendam in hac Cathedrali diebus 6.^a, 7.^a et 8.^a currentis Septembris, et vocasset Dignitates et Canonicos Ecclesiae Cathedralis, Capitula Collegialia, Parochos ac Beneficiatos omnes tum Civitatis, tum Dioecesis, eosque qui de jure et consuetudine convenire debent, ut ibi Constitutiones Synodales et Decreta publicarentur: reapse iis diebus Synodales Sessiones habitae sunt, in quibus Constitutiones et Decreta supradicta praestantium doctrina, pietate et prudentia delectorum virorum multis in antecessum peractis Congregationibus suf-

fragio munita ; Ill.^{mo} et Rev.^{mo} Capitulo hujus Cathedralis pro ejus explorando consilio exhibita ; atque in hac Cathedrali Ecclesia sub titulo Beatissimae Virginis Mariae in Coelum Assumptae, praesidente laudato Excell.^{mo} et Rev.^{mo} D. D. Episcopo, et ad Synodum conveniente ac praesente universo Civitatis et Diocesis Clero per Rev.^{num} D.^{num} D. Josephum Mirani Canonicum hujusce Cathedralis Ecclesiae a Secretis ejusdem D. D. Episcopi, et per admodum Rev.^{dum} D.^{num} D. Antonium Valenti, Secretarium primum, Pro-Secretarium alterum hujus Synodi rite electos in Congregatione praeparatoria, alta atque intelligibili voce e suggestu lecta et evulgata, a praedicto universo Civitatis et Dioecesis Clero, nemine discrepante, audita et excepta fuerunt. Et quoniam Ill.^{mus} et Rev.^{mus} D.^{nus} Theologus D. Benedictus Butteri Ecclesiae Cathedralis Primicerius Synodi Promotor institit in qualibet Synodali Sessione, ut de omnibus expletis ac praestitutis in iisdem Sessionibus unum (vel plura, ubi opus fuisset) per me Instrumentum conficeretur ; eamdemque instantiam Dominatio Sua Excell.^{ma} et Rev.^{ma} admiserit, et juxta petita confici Instrumentum mandaverit ; ideo ego Canonicus hujus Ecclesiae Cathedralis Notarius Apostolicus infrascriptus instantiae et mandato praedictis inhaerens, ad perpetuam omnium praedictorum memoriam ac firmitatem hoc praesens confeci ac publicavi Instrumentum de forma etc.

Actum Derthonae in hac Cathedrali Ecclesia Beatae Mariae Virgini in Coelum Assumptae dicata coram universo Synodo ibidem congregata, et specialiter praesentibus Admodum RR. D.^{nis} D. Josepho Calcabrina quondam Domini Matthaei Rectore in Spiritualibus hujus Nosocomii, et D.

Hiacyntho Remotti quondam Domini Clementis ambobus
Beneficiatis hujus Cathedralis, Testibus ad praemissa vocatis
et specialiter rogatis etc. Et in fidem etc.

Canonicus JOSEPHI MARIA CANTÙ
*Notarius Apostolicus, Cancellarius Episcopalis
et hujus Dioecesanæ Synodi Notarius.*



APPENDIX.

APPENDIX.

NUM. I.

Formula professionis Fidei.

(Vid. N. 5, 6, 7, 8, Syn. Dioecese,)

Ego N. N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem Factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium: et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui

cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimum consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Uctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnii administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis; atque in SS. Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum Anima et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus et totius substantiae vini in Sanguinem; quam

conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constantiter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero, Imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Coetera item omnia a sacris Canonibus et OEcumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas, et anathematizatas ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego

idem N. N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet,
et haec sancta Dei Evangelia.

*Formula JURAMENTI PROFESSIONIS FIDEI legitur
ut supra, posita manu dextera super librum Evangeliorum
et genibus flexis.*

NUM. II.

ISTRUZIONE

*Per la Compagnia della Dottrina Cristiana,
ed elenco delle Indulgenze accordate dai Sommi Pontefici ad essa,
ed a tutti i Cooperatori all'insegnamento del Catechismo.*

(Vedi N.ⁱ 22, 23, sino al 36 del Sinodo)

È parte essenzialissima del ministero Parrocchiale quella che riguarda l'istruzione del popolo, e principalmente dei fanciulli ne' rudimenti della Fede. Troppo stringente è l'invito, che ce ne fa Gesù Cristo in S. Matteo 18; — Chi si avrà presa cura d'un fanciulletto in mio nome, ha preso cura di me stesso. — Sono perciò strettamente tenuti all'adempimento di quest'ufficio i Sig.^{ri} Parrochi, non solo in forza delle Canoniche sanzioni, ma anche del precetto Divino, e della stessa legge naturale.

Siccome però non è possibile, che il Parroco solo possa supplire all'ammaestramento di tutti i fanciulli nel Catechismo da farsi nelle Classi per modo di interrogazione e risposta; perciò i Sig.^{ri} Sacerdoti e Chierici delle rispet-

tive loro Parrocchie animati da vero spirito d'umiltà, e di carità sono i primi che devono venire in loro ajuto (*Sin. Art. 31*).

Ma avvenendo in molte Parrocchie, che non vi siano nè Sacerdoti, nè Chierici, è forza che si procuri il Parroco l'ajuto di persone anche secolari d' ambi i sessi, assegnando gli uomini per maestri alle classi de' figliuoli, e le divote e ben istruite femmine a quelle delle figlie.

Affinchè però i Parrochi possano ritrovare un buon numero di caritatevoli Operaj, e Coadjutori nell'ammaestramento de' fanciulli, stabili S. Carlo Borromeo nel Concilio Provinciale II., che in ogni luogo di ciascheduna Diocesi fossero erette le compagnie e scuole della Dottrina Cristiana (*Sin. Art. 35*).

Intorno alle quali i Sommi Pontefici Gregorio XIII. con Breve 27 maggio 1576 e Paolo V. con Breve del 6 ottobre 1607 stabilivano, che in tutte le Chiese delle Diocesi s'intendesse cretta la Compagnia della Dottrina, e che partecipasse a tutti i privilegi, ed indulgenze (che diremo più sotto) appena ne fosse aggregata all'Arciconfraternita di Roma almeno una della Diocesi.

E troppo standoci perciò a cuore 'il buon andamento dei Catechismi, e di tali utilissime Compagnie, abbiam creduto d'ordinare quanto segue :

Il Sig.^r Parroco (o Vice-Curato nelle Chiese Succursali) sarà il Superiore della Compagnia.

Si procurerà, che vi si facciano ascrivere tutti i Signori Sacerdoti e Chierici della Parrocchia, e quei Laici d'ambi i sessi, che per la saviezza dei loro costumi, per la loro istruzione, e soprattutto pel loro zelo si crederanno atti

ad insegnare la Dottrina ai fanciulli; e si chiameranno Maestri, e Maestre.

Sarà cura del Sig.^r Parroco, che vi sieno scelti nella Congregazione i così detti *Pescatori*, che hanno per oggetto di condurre con buone maniere alla Dottrina gli oziosi, e sbadati fanciulli. Questi andranno in giro un quarto d'ora prima dell'ora destinata al cominciamento del Catechismo; se pure non si credesse più utile il raccogliere i fanciulli col mandare innanzi alla Dottrina una processione, nella quale qualche Sacerdote, o Chierico, o Laico con alcuni giovani e coi Pescatori girando per la Parrocchia e cantando le Litanie, od altra Orazione invitino il popolo al Catechismo.

Sarà anche cura speciale del Sig.^r Parroco di dividere in varie classi i fanciulli, cominciando da quelli cui devesi insegnare il solo *Pater noster*, *Ave Maria*, *Credo*, e *Misteri*, passando a quelli che debbono imparare in compendio i Comandamenti, i Sacramenti, gli atti di Fede, Speranza e Carità, per sapere le cose essenzialmente necessarie a ben confessarsi, sino a quelli, che avute prima le cognizioni richieste per essere ammessi alla prima Comunione, apprendono poi più sviluppata la materia dei Comandamenti, dell'Orazione, e delle altre parti della Dottrina Cristiana.

Queste Classi si formeranno nelle Cappelle, negli angoli, od altri luoghi appartati della Chiesa, procurando che i figli, e le figlie non sieno rivolti faccia a faccia (*Sin. Art. 29*).

Ogni Classe avrà il suo Maestro, o Maestra, i quali tenendo fra le mani il libro del Catechismo lo insegneranno parola per parola, e per modo d'interrogazione, e risposta. Use-

ranno maniere dolci coi loro scolari allettandoli con lodi, con promesse, e talvolta con piccolo premio. Andranno dolcemente insinuando, e frammettendo nell'insegnare i rudimenti della fede qualche massima, e riflessione sopra di essi ordinata a guadagnare, e santificare i cuori dei fanciulletti. Non si stanchino di ripetere anche più volte la medesima cosa e di farla ridire ora all'uno, ora all'altro, nè passino avanti, finchè non sieno assicurati, che la Classe abbia già imparate le cose insegnate precedentemente.

Procurino i Maestri, e le Maestre di sorvegliare, e conoscere chi frequenti o no il Catechismo, di trovarsi per tempo alla Chiesa, onde far segnare i fanciulli con l'acqua santa, far pigliar loro la perdonanza, e tenerli quieti. Sarebbe bene che fossero deputati altresì per ciascheduna Classe uno, o due silenzieri incaricati di mantenere il silenzio e l'ordine nella Classe senza che sia necessario al Maestro d'interrompere ad ogni mancanza la sua lezione.

Il Parroco, e dopo lui gli altri Sacerdoti debbono essere l'anima della Compagnia.

Ogni prima Domenica del mese, terminate le Sacre Funzioni, si radunerà la Compagnia, e v'interranno i Maestri, e le Maestre: il Parroco, od altro Sacerdote da lui deputato animerà i Congregati con opportuno discorso. In quest'occasione i Maestri, e le Maestre daranno conto della loro Classe, e di chi meritò lode o premio, oppure correzione, e castigo, e di chi possa essere promosso alla Classe superiore. Al che però non procederà il Parroco senza un esame.

Sarà bene che i Sig.^{ri} Parroci si industrino per ottenere anche, ove d'uopo, qualche limosina onde procurarsi libretti,

immagini, corone da distribuirsi in premio ogni tre mesi ai fanciulli che si distinguono, procurando di distribuirli poi di propria mano con qualche solennità in Chiesa alla presenza del popolo. Alla qual distribuzione sarebbe troppo desiderabile che precedesse la Confessione di tutte le Classi e la Comunione per quelli che già vi fossero stati ammessi.

Finalmente i Sig.^{ri} Parroci animeranno i Fedeli ad iscriversi alla Congregazione, ricordando, e spiegando loro le Indulgenze concesse ai Confratelli e Consorelle delle medesime, ed anche agli altri che coltivano o frequentano la Dottrina Cristiana, che sono le seguenti:

INDULGENZE PERPETUE

*Concesse dal Sommo Pontefice Gregorio XIII.
a ciascuna Compagnia della Dottrina Cristiana,
come nel Breve 27 Maggio 1576.*

I. Ciascun Cristiano dell'uno, e dell'altro sesso, che confessato, e comunicato entrerà nella Compagnia della Dottrina Cristiana, nel giorno che sarà descritto acquisterà dieci anni, e dieci quarantene d'indulgenza delle penitenze ingiunte.

II. Dopo di essersi confessato, comunicandosi il primo giorno dell'anno, e la prima Domenica di Quaresima, ovvero due altri giorni dell'istesso anno, acquista per ciascuna volta dieci anni, ed altrettante quarantene d'indulgenza.

III. Essendo scritto, o dovendosi scrivere nella suddetta Compagnia, ogni volta che si eserciterà nelle scuole ad

insegnare la Dottrina, ovvero andrà per impararla, consegue cento giorni d'indulgenza.

IV. Congregandosi cogli altri per trattare, ed aumentare il felice progresso della Dottrina, acquista per ciascuna volta cento giorni d'indulgenza delle penitenze in qualunque modo debitamente imposte.

V. Essendo veramente pentito e confessato, comunicandosi in quel giorno, che stabiliranno i Superiori di detta Compagnia per ciascun anno, consegue indulgenza plenaria, e remissione di tutti i suoi peccati.

VI. Chi veramente pentito e confessato si troverà in articolo di morte essere di detta Compagnia, consegue indulgenza plenaria, e remissione di tutti i suoi peccati.

INDULGENZE

Concesse dal Sommo Pontefice Paolo V. con suo Breve del 6 ottobre 1607 a tutti i fedeli che insegneranno, od apprenderanno la Dottrina Cristiana.

I. A tutti i Maestri di Scuola, che nei giorni di Festa condurranno i loro discepoli alla Dottrina Cristiana, e ad essi la insegneranno, per ogni volta sette anni d'indulgenza; ed ai medesimi, che nei giorni di lavoro nelle loro Scuole spiegheranno la Dottrina Cristiana, per ogni volta cento giorni d'indulgenza.

II. A tutti li Padri e Madri di famiglia, che nelle loro case alli figliuoli, ed alle persone di loro servizio insegneranno la Dottrina Cristiana, per ciascheduna volta cento giorni d'indulgenza.

III. A tutti i Fedeli Cristiani, che per mezz'ora studieranno o per insegnare, o per imparare la Dottrina Cristiana, per ogni volta cento giorni d'indulgenza.

IV. A tutti i Fedeli Cristiani di qualsivoglia età, soliti radunarsi nelle Scuole e nelle Chiese per imparare la Dottrina Cristiana, se si confesseranno in tutte le Feste della Beatissima Vergine, indulgenza di tre anni in ciascuna di dette Feste; e gli abili alla S. Comunione se riceveranno divotamente il SS. Sacramento, indulgenza di sette anni. A tutte queste indulgenze Clemente XII. con suo Breve del 27 giugno 1735 aggiunge l'indulgenza di sette anni e sette quarantene a tutti i Fedeli ogni volta che confessati e comunicati assisteranno al Catechismo, o alla Dottrina, ovvero faranno il Catechismo, o insegneranno la Dottrina.

Finalmente a quei che avranno il pio costume di assistere, o di insegnare la Dottrina, lo stesso Clemente XII. nel citato Breve concede (confessati e comunicati) indulgenza plenaria nei giorni del S. Natale di nostro Signor Gesù Cristo, di Pasqua di Risurrezione e dei SS. Apostoli Pietro e Paolo.



NUM. III.

*Istruzione ed Avvertenze
per tenere regolarmente i Registri Parrocchiali.*

(Ved. N.º 53, 307, 385 del Sinodo)

ARTICOLI DEL REGOLAMENTO

*dell' Istruzione della Sacra Congregazione
degli affari Ecclesiastici straordinarii*

in Nome della Santità di Nostro Signore Papa Gregorio XVI.

ai Rev.^{mi} Arcivescovi e Vescovi

degli Stati di Terra Ferma di S. M. il Re di Sardegna.

I Registri Parrocchiali di nascita e battesimo, di matrimonio e di morte debbono essere tenuti in modo uniforme in tutti i Dominii continentali di Sua Maestà il Re di Sardegna. A quest'effetto i Parrochi si serviranno dei Registri, che loro saranno rimessi dai rispettivi Ordinarii Diocesani, cui a tal uopo il Reale Governo li farà giungere stampati in carta libera a spese delle Comuni. Siffatti Registri saranno vidimati dagli Ordinarii medesimi, o dalla loro Curia Ecclesiastica, e dai Prefetti dei Tribunali, o da chi ne fa le veci, ed in essi i Parrochi iscriveranno in doppio registro originale le nascite, i matrimoni, ed i decessi riempiendo a penna i vacui dei relativi esemplari.

II. Gli atti saranno iscritti sul doppio registro senza interruzione, e senza alcuno spazio: vi si esprimerà non

in cifre numeriche, ma con lettere, l'anno, il mese, il giorno e l'ora dei rispettivi atti di nascita, matrimonio e decesso: altrettanto si praticherà, se occorra di notare qualunque altra data nel corpo degli atti suddetti.

III. Ciascun atto sarà sottoscritto dalle parti, o dai dichiaranti, non che dai testimonii, nei casi in cui sono necessari, e dal Parroco, o da chi ne fa le veci. Se taluno non sapesse, o non potesse scrivere, si farà ciò risultare con apposita dichiarazione.

